
DM
E LIBRIS
18.
75.
DAVID MVRRAY

David Murray
Glasgow.

This is the Thesis prepared by James Cowles Prichard for the degree of M.D. in the University of Edinburgh. In it are foreshadowed his great works - Researches into the Physical History of Mankind - and the Natural History of Mankind.

Dr Prichard was a native of Ross, Herefordshire. Born 1785 - died London 1848 - one of the Commissioners in Lunacy.

David Murray
Glasgow.

DISPUTATIO

INAUGURALIS

DE

GENERIS HUMANI

VARIETATE.

DISPUTATIO
INAUGURALIS
DE
GENERIS HUMANI
VARIETATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JAMES COWLES PRICHARD,

ANGLUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Mirantur aliqui altitudines montium, ingentes fluctus maris, altissimos lapsus fluminum, et oceani ambitum, et gyros siderum —— et relinquunt seipsos, nec mirantur.

STS. AUGUSTINUS.

VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1808.

VIRO,

ERUDITIONE LIBERALI EXCULTISSIMO,

ALEXANDRO CHRISTISON,

A.M. F.R.S.E.

HUMANITATIS

IN EDINENSI ACADEMIA

PROFESSORI,

AMICITIÆ GRATIQUE ANIMI

SIGNUM LEVISSIMUM;

HOC OPUSCULUM

D. D. D.QUE

AUCTOR.

VIRO,

INGENUIS ARTIBUS ORNATISSIMO,

J. WALKER,

F.R.S. F.A.S.

CONSANGUINEO ET AMICO SUO,

QUANTULUMCUNQUE OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM;

HUNC LIBELLUM,

D. D. D.QUE

J. C. PRICHARD.

DISPUTATIO
INAUGURALIS
DE
GENERIS HUMANI
VARIETATE.

HAUD ulla de rerum natura inquisitio animi intentionem potiore titulo ad se vindicat, seu argumenti ipsius nobilitatem, sive omnis de eo comparatæ scientiæ fructus, insigniter vitæ usibus inservientes contemplemur, sive insitam denique illam ingenio nostro curiositatem, quæ ad tales scrutationes instimulat, quam historiæ generis humani investigatio. Quum vero tanta sit rei amplitudo, ut nulli fere mortalium mens totius capax concessa fuerit, vel in omnem prægravis operis partem valida, sed in singulas varia ingenia, et diversæ animi consuetu-

dines postulentur, labore partito fuit opus, atque ut alii alias vias, utpote in tam vasta exploratione, sibi sumerent indagandas. Hic vires atque functiones corporis nostri intueri maluit. Ille majora ausus obscuriorem animi fabricam tentavit, et opertissima ejus arcana recludere conatus est. Nec defuerunt qui juris civilis, et socialium fœderum requisierint fontes. Nos vero cum neque tam ardua moliri, aut decet, aut libet, neque tamen in rem communem pro virili conniti omnino recusandum sit, quædam quæ pertinent ad hominis naturam, ejusque in variis terrarum orbis regionibus diversitatem, nobis consideranda proposuimus, quidquid ex aliorum opera juvaturum sit, grati sumpturi; nostri laboris quoad vires valeant, et tempus suppetat haud parci.

Gentes hominum varias terras incolentium tantum inter se differunt, non moribus solum et institutis, verum corporis etiam forma et colore, et animi, ut videtur, naturali ingenio, ut multa dubitatio hæc contemplantibus oriatur, utrum insignis adeo et mira varietas causarum adventitiarum potentiæ in genus primitus idem et sibi constans agentium tribu-

enda sit, an potius ad diversitatem a rerum Conditore ex mundi principio constitutam releganda. Complures quidem et inlustres viri in hac disputatione lites inierunt. Non omnes vero justis philosophiæ armis certamina contulerunt. Opinionum ex utraque parte suarum debito amantiores, opprobria in adversarios finxerunt; alteri impiæ audacitatis, alteri animi temere et pueriliter creduli.

Quidam nimium festinantes rationibus a *parte priori* ut vocant ductis, disceptare voluerunt. Incassum*, inquiunt, nunquam Natura impendit operam. Non adeo laboris amans existumanda est, ut plures creare gentes maluerit, cum una tantum familia ad mundum colonis implendum satis cito sufficeret. Alii † in philosophorum quæstiones haud invocandum numinis auxilium affirmant, neque miracula quorum causæ caligine nobis lateant penitus immersæ, Dei placito statim referenda. Si hominum diversitatem secundum cognitas naturæ leges explicare nequeamus, ni-

* Sir W. Jones.

† Dr J. Hunter, &c.

hil profecto Creatoris voluntati tribuendo rem nostram juvaturos. Immo hæc potius intemerata relinquere oportere, felicioribus provectioris ævi tentaminibus scrutanda. Neque contra minore subtilitate disputandi certatur. Vix sanæ mentis * sententiam esse contenditur, tantas regionum immensitates ideo fuisse creatas, ut nuda et immanis solitudo per sæcula plurima pateret, dum sera unius familiæ propago extenderet tandem ramos ad ultimas terrarum oras; vel multitudinem tam admirabilem et varietatem insularum vastam et desertam relictam esse, ab infelici solum naufragiorum casu, vel nautarum fortuitis erroribus colonos accepturam, aut forsan in sempiternum vacuam futuram, habitatoribus hominibus nunquam collustrandam. Multo magis sapientiæ consentaneum fuisse, ac divinæ benignitati, terram principio frugibus et arboribus vestitam, et animalibus omnigenis cuique cœlo soloque idoneis repletam, Constitutoris summi statim consiliis respondisse.

---

* Lord Kaimes.

Hæc quanquam satis speciosa videantur, omnia ut fit plerumque in hujusmodi argumentationibus fluxa et incerta sunt. Qui magna loquuntur tanquam ipsi ex Dei concilio descendissent, neque ut humiles ministros, et naturæ interpretes oportet, raro lumine quantulocunque ejus abdita illustrant. Illi quidem dixerunt quomodo mundum constituissent, si hoc eorum curationi fuisset commissum; sed qua ratione re ipsa constitutus sit, talibus auspiciis, et latet, et semper latebit.

In his tenebris versantibus unde tandem spes allucet errores finiendi? Quæ ratiocinandi via, ex adeo perplexa ambiguitate, ad verum exitum sine hallucinationibus perducet? Cum animalium prosapias videmus ex maxima parte similes, in quibusdam vero differentes, quomodo sciamus ad idemne an diversa genera pertineant, vel ut loquuntur auctores hodierni, species?

Ray, Buffon * aliique rerum naturalium multi nominis scriptores, ex generatione ani-

* Hist. Nat.

malium dijudicationem quæsiverunt. Quæ prolem fœcundam gignunt, congenera esse arbitrantur, et quantumcunque discriminis intercedat, causis adventitiis attribuunt; quibus autem progenies sterilis est, ea in diversas species discernunt. Huic rationi confisus inlustris HUNTER* canem, lupum vulgarem, et lupum aureum in eadem specie posuit, vulpemque sejunxit.

Verum enimvero nihil certi, nihil comprobati hic invenire possum. Hæc omnia conjecturalia sunt, et *principii petitione* nituntur. Quippe nemo adhuc argumentis satis fidis ostendit, animalia similia, sed quæ ad eandem speciem plane non sint referenda, prolem nunquam fœcundam gignere, et dum hoc explorate sciamus, nihil inde concludere fas est. Atqui profecto satis constat, rem longe aliter se habere. Mulæ enim†, multis et haud dubiis exemplis, procreandi potestate præditæ fuerunt. Caprorum quoque cum ovibus juncto-

* On the Animal Economy.

† ARISTOTELES, BUFFON, SMELLIE.

rum progenies, quæ tamen animalia nemo in eadem specie inclusit, semper fœcunda fuisse, atque in perpetuum vires generatrices transmisse observatum est *. Cameli † et *dromedarii*, qui non minus inter se differunt quam equus ab asino, nequaquam sterilem stirpem procreant. In avium quarundum cicurum generatione idem quotidie valere videmus ‡.

Neque feliciori ave rem aggressi sunt, qui constantiam signorum quorumlibet pro speciei distinctione assumpserunt. Non enim si quoddam coloris aut formæ discrimen inter hanc et illam animalium indolem notetur, quod universæ etiam progeniei constanter traditum observetur, idcirco ea diversi generis semper existumanda sunt. De qua re nemo profecto dubitabit, cum animadverterit plures a primigenia constitutione generum variationes, quæ nobis ante oculos oriantur, postea in perpetuum esse permanentes, totiusque stirpis sine ulla deinceps nova mu-

---

* Smellie, Philosophy of Nat. Hist.

† Lord Kaimes.

tatione peculiares evadere. Veluti factum observamus in multis animalibus *leucæthiopibus*, ut in viverris, atque in stirpibus vulpium, luporumque fuscis nigrisque, aliisque exemplis numero carentibus.

Neque ullum novi species dignoscendi modum præter viam *analogicam* quam sagacissimus BLUMENBACH * excogitavit. Si prosapia una animalium alterius reliqua omnia similis, ab hac solum differat, secundum variationis legem, quam in pluribus aliis exemplis valere observavimus, utramque eidem speciei sine dubitatione nobis referre conceditur. Cum igitur mures, vel sorices, vel viverras videamus pilis albis, rubrisque oculis insignes hæc a primigenio deflexisse colore putandum est, quia eandem variationem in plurimis animantium generibus quotidie enasci certo sciamus. Neque profecto in coloris solum, verum etiam in formæ aliisque diversitatibus huic distinctioni confidimus.

---

* De Generis Humani Varietate Nativâ.

Cum innumeram tum animantium, tum eorum quæ nascuntur e terra multitudinem, qua mundi pæne omnes regiones ornatæ collucent, conspectu latissimo contemplemur, nihil magis admiratione dignum oculis obviam fit, quam insignis formæ colorumque variantia, quæ in omni prope genere apparet. Dum quæque species eam conditionem servat, in qua Natura posuit, pauciora et minus plerumque conspicua mutationis exempla observantur. Simul autem atque hominum arte et cura exculta, vel domestica facta fuerit, insatiabilis fere varietas exoritur. Hoc in iis continuo fieri quæ terra pariat, vix quempiam quamlibet parum botanices studiosum, in animantibus neminem certe latuisse potest. Illa si naturalem statum reddas, in pristinas formas coloresque, haud longo tempore redeunt*. In his an ita unquam eveniri queat, maxime in dubio versatur †.

Ex omnibus vero animantibus nulla profecto a conditione naturali tam longe absunt,

---

* WILDENOW's Lectures.

† J. HUNTER on Animal Economy.

quam gens humana. In hac igitur mirum foret, ni mutationes insignes perinde se ostenderent, ac eæ quæ in reliquis generibus innotuerunt.

Progrediamur itaque ad varietates considerandas, quæ in nostro genere fuerunt observatæ, modumque *analogicum*, quem supra exposuimus, ante oculos habentes, num earum mutationum quas cæteræ subierunt animalium gentes consimiles sint, ideoque ad variationem a constitutione speciei primitus una et eadem legitime referendæ, animo perpendamus.

A Colore initium faciemus.

DE COLORIS VARIETATE.

In plurimis animalium generibus, quæ calido sanguine gaudent, illa varietas sæpe reperitur, cui nomen *Leucæthiopiæ* fuit inditum. Hæc pilis insignitur et crinibus albis-

simis, cute quam candidissima, oculis colore roseo. Corporis constitutio paulo infirmior plerumque est. Cuniculi *, mures, viverræ, equi vulgatius, rarius autem simiæ, sciuri, sorices, saviæ, criceti, talpæ, didelphides, martes, mustelæ, capreoli, et sues, sic affecti conspiciuntur. Idem quoque invenimus in pluribus avium generibus. Inter homines † in omni fere regione haud raro enascitur. In gentibus vero quæ cute nigricantiori sunt, frequentius fuit observatum ‡, colorum dissimilitudine, ut puto, notationem magis eliciente.

Mutatio alia in omnibus pæne animantium cicurum generibus, et in ferarum plurimis, in nigrum fit. Quam quotidie in ovibus, cuniculis, felibus, equis, &c. oriri videmus. In nostra gente in Nigritis conspicitur.

Omnes colorum gradus inter illum, qui cujusque generis primigenius est, et saturatissimum nigrorum medii, in multis animalibus apparent, quod in promptu est in equis, bovi-

---

* Blumenbach, de Gen. Hum. Var. Nat. † Ibid.
‡ Maupertius, Venus Physique.

bus, felibus, canibusque. Hunc locum inter homines obtinent Mongoli flavescentes, et cupreo colore Americani.

Aliud variationis exemplum supra recensitis vix minus frequenter observatum, cute candida distinguitur, crinibus pilisque flavescentibus aut rutilatis, oculis in quibusdam generibus cœruleis. Hoc in felibus, canibus, equis, cuniculis, nemo non vidit. Ex hominibus natio Germanica, omnesque ab hac vel ex parte, vel sincera stirpe oriundæ gentes, eodem adscribendæ sunt. In aliis necnon subinde reperitur.

In hac enumeratione speciem hominum latissime prævalentem haud fuisse recensitam, forsan quis animadvertat: eam nempe quæ cute candida, etsi non tam formosa, quam color gentis Germanicæ peculiaris, crinibus, pilisque nigris, et oculis nigricantibus dignoscitur. Hunc argumentis innisus, quæ postea explicare in animo est, primitivum humani generis colorem fuisse puto.

In hac divisione omnes coloris hominum varietates continentur. Earum quæ quotidie

in pecoribus enascuntur, ut constat, omnino consimiles sunt.

Hæ diversitates plerumque hæreditario jure transmittuntur, ut fit etiam in omni naturalis conformationis, varietatisque congenitæ exemplo. Mures atque viverræ albæ, dum stirps sincera servetur, progeniem albam fere semper edunt. *Leucæthiopes* * humani sobolem gignunt sui similem, totasque gentes hac constitutione insignes in insulis Selendiva et Java †, atque in isthmo Darienico ‡ repertas esse, fidis satis auctoribus accepimus. Nigrities quoque parentum progeniei traditur, atque arietes idcirco nigri procreandi causa, nunquam a pastoribus servantur. Idem quoque verum est de omni alia variatione. Quorum quotidianam observationem habere in proclivi foret, ni pleraque admiratione dignissima, longa consuetudine negligentibus, mos esset sine animadversione præterire.

Mare cum fœmina diversi coloris conjuncto, stirps mediam sæpe inter patrem matrem-

---

* BLUMENBACH. † BUFFON, Hist. Nat.

‡ WAFER apud MAUPERTIUS et HALLER.

que speciem fert. Alias vero alterius ex parentibus consimilem se ostendit. Veruntamen quum hoc fiat, quamvis nullum mistæ generationis indicium appareat, quædam nihilominus corporis conditio ab utroque parentum traditur, quæ per aliquot ætates sæpe latet, et manifesta postea emergit. In equorum genere, in quo hoc facilius et certius confirmare in promptu est, quam in aliis plerisque, in septima ætate colorem rediisse observatum fuit *.

Eadem perpetuo in hominum genere fieri novimus. Filios quotidie patrum matrumque dissimiles, et avorum pæne pares videmus. Viris nigritis nostratibus fœminis connubio junctis, proles plerumque medii coloris nascitur, cui nomen Hybridæ tributum fuit. Interdum autem aliter evenit. Pueri enim nonnunquam vel patri vel matri similes, et in quibusdam, quamvis rarioribus exemplis, corpore variis coloribus distincto, parte illum, parte hanc referente, ex talibus nuptiis fuerunt nati.

* Dr Gregory, Prælect. Med.

Harum observationum exempla quædam in Annalibus Societatis Regiæ Londinensis a Doctore Parsons tradita fuerunt, quæ quum maxime ad rem nostram faciant, quam paucissimis referenda sunt *.

Nigrita mulierem candidam Eboraci uxorem duxit, quæ brevi prægnans facta post tempus gestandi peractum, puerum enixa est toto corpore nigerrimum, patrique omnino colore formaque similem, nec maternæ constitutionis in ulla re participem.

Nigrita, civis Londinensis servus, fœminæ candidæ nupsit. Illa partum jam editura, maritus cum hero rus profectus est, nec rediit nisi x vel xii dies postquam uxor puellam pepererat, colore vultus et conformatione lineamentorum matri consimillimam. Nigrita magnopere perturbatus, haud suam esse clamitabat. Nutrix vero cito iras compescuit: vestimenta enim infanti detrahens, podicem et femur dextrum ei ostendit, perinde ac ipsius nigra.

---

* Philosophical Transactions.

Viro et fœmina nigritis matrimonio conjunctis, infans candida nata est. Quod cum mulieri notum fuit, magno terrore perculsa, et cum albo homine nunquam in vita rem habuisse deos testata, ut lucem excluderent, ne videret maritus, eos qui affuerunt obsecravit. At ille, cum puellam aspexerat, lætatus videbatur, uxoremque affatus. "In timore," inquit, "te me habere scio, quod infans can-"dida tibi nata est. Ne vero idcirco metuas; "hoc enim mihi optanti accidit. Namque "pater mihi ipsi albus fuit, quamvis avus et "avia æque ac tu et ego nigri erant. E re-"gione migravimus, ubi albi homines penitus "ignoti sunt. In nostra tamen, et omnibus "familiis nobis consanguineis, pueri sæpe can-"didi nati fuerunt."

Hic vero fortasse quis interroget. Qua ratione fit, ut hominum gentes tam constantes et sui invicem similes sint, neque in his eædem varietates quotidie oriantur, quæ in reliquis generibus se ostendunt? Quare non hodie quoque infantes nigros ex albis parentibus natos videamus, cum id olim evenisse patamus? Quibus respondemus, singulos homi-

nes ubique fere, et etiam familias videre esse, Mongolis et novi orbis incolis haud multum colore abludentes, immo in quibusdam exemplis fere æquales; neque dubitandum esse modo similibus semper nuberent, hæreditaria scilicet omni corporis conformationis parte, quin color iste progeniei tradendus sit, totiusque demum stirpis peculiaris evasurus. Neque vero desunt exempla nigrorum infantium ex albis parentibus natorum, quæ fidis auctoribus narrantur. Relationem hujusmodi a Doctore LIND * accepimus, oculato teste. Vir niger, candidis parentibus ortus, filium sui similem gignit. *Leucæthiopia* quoque continuo enascitur, et in omni fere regione. Et sanguinea constitutio sub cœlo etiam ardenti, atque in gentibus nigricantibus, sæpe exoritur. Vir † in Otaha insula, cute candida et crinibus rutilatis, ubi cæteri incolæ fere nigri sunt, a Doctore FORSTER visus est. Inter Otaheiteanos ‡, qui ab Indis

* Dr J. HUNTER, Dissert. Inaugural. citat. ex Philos. Transact.

† Dr FORSTER's Observations.

‡ WALLIS, apud HAWKESWORTH's Voyages.

Orientalibus orti fuerunt, comæ flavescentes et faciei pulcher color, haud raro observata sunt. Inter Nigritas Africæ, Novæ Guineæ et Novæ Bataviæ, comæ et barbæ rutilantes interdum repertæ fuerunt*.

Hæc autem dubitatio, ut puto, tolletur, si ad id quod fit in multis animalium generibus animadvertamus. In pluribus enim exemplis, cum una mutatio absoluta est, proclivitas ad variationem exhausta videtur, et dum stirps distincta servetur, neque aliarum mistura inficiatur, color prosapiæ idem et constans permanet. Quod factum videmus in vulpibus ursisque nigris, in soricibus, equis, plurimisque aliis ferarum generibus, et quod in omni fere cicurum animalium genere factum iri nullus dubito, modo pares paribus semper conjungantur.

Propensio quædam insita animantibus inesse videtur, qua prona sint ad conjungenda se cum paribus, et aversatio quæ efficiat ut sui dissimiles plerumque respuant. Neque

* Blumenbach.

hanc inter genera tantum valere, sed ad minores etiam varietates se extendere putandum est. Inter bestias cicures quidem, nativum ingenium tam coercitum est, et appetitiones ingenitæ vi hominum tam subactæ, ut omne genus a natura sua longe alienum videatur, neque talis principii effectus se ostendere possint. In his sæpe fit cum dispari etiam genere conjunctio. In conditione vero propiore naturali, longe aliter se res habet. Qua enim alia ratione variæ ferarum stirpes coloribus inter se distinctæ formari potuerunt? Quomodo gentes *Leucæthiopum* in Selendiva et Java insulis? Talem quandam nobis inesse propensionem nemo profecto dubitabit, qui ad animum suum se attenderit. Inde origo inter hominum gentes pulchritudinis variæ æstimationi. Quod inter hos decorum, ab illis sæpe turpissimum habetur. Facies et compositio membrorum, quæ a nobis maxime deformes æstimantur*, inter Mongolos formosissima habetur. Similia quoque de Æthiopibus feruntur.

---

* Pallas, Voy. en Siberie.

DE SEDE COLORIS ET CAUSA VARIETATIS.

Cutis color, ut jam omnibus notum est, in reti mucuso sedem habet, oculi in pigmento. Horum inter se et cum crinium colore congruentia observationi vulgari innotuit, et fere in universum, ut credo, in gentibus sinceris tenet. In *Leucæthiope** pigmentum et rete, si non omnino desint, saltem sunt tenuissima. Oculi rubor ex arteriis choroidis tunicæ pendet, et albor faciei totiusque corporis in cute vera situs est; comæ vix lino minore subtilitate sunt. Eadem quoque in constitutione sanguinea, sed minore modo, observantur. Rete, pigmentum et crines ‡, quam in melancholica, tenuiora sunt. Mongoli et Americani, qui nigritudini propius accedunt, comas firmas admodum et crassas habent. In Nigrita rete summæ crassitudinis esse constat.

---

† Blumenbach. J. Hunter on Animal Economy.

‡ Haller.

Hæc æqualis et constans in effectu ex hac parte adauctio, ex illa diminutio, ut eidem causæ referamus potentia varia agenti, monere videtur. Cum oculi pigmentum et mucus cutaneus, tum etiam crines secretione quadam ex vasis glandularum munere fungentibus formari videntur. Materies densior et firmior varietatum nigricantium a vasorum secernentium actione fortiori fortasse conficitur; quo remissior vel candidior fit color, eo minore vi secretionem peragi, atque in extremo albore fere penitus deficere, vel saltem quam debilissimam esse puto. Quæ opinio nobis confirmatur, cum animadvertimus quod cum his corporis totius firmitudo comparationem servet. Sanguinea nempe constitutio paullo infirmior quam melancholica est, stimulorum valde sentiens, laboris impatiens, et ut dicunt "tantum ad impetum valida." Multo hac debiliorem et molliorem *Leucæthiopicam* esse scimus. Fusci contra novi orbis incolæ, rigidis et firmis sunt artubus, et fatigationis et cœli intemperantiæ, quam ullos mortalium tolerantiores esse constat. Similia quoque de reliquis animalium generibus nota sunt.

Equi quibus crura alba sunt, debiles sunt, neque longorum itinerum laborem facile pati consueverunt. Albus cuniculus, ex omni genere suo, maxime infirmis est. Hæc velut aliæ naturæ animantium leges exceptionibus quibusdam comitatur, in plerisque vero exemplis valere videtur.

Quandam igitur vasorum conditionem hac secretione fungentium varietati coloris causam esse putamus; actioni scilicet debiliori melancholica, sanguineæ constitutionis colorem adscribimus; adhuc remissiori *Leucæthiopicæ*, cum in aliam partem mutationes cutem crassam et nigricantem, fortesque et nigros crines Indorum, Mongolorum, et novi orbis incolarum conficere existimamus. De crispis crinibus Afrorum, qui contra hanc legem facere videntur, infra dicemus. Hæc pro conjectura tantum proposita sunt,

"Nec mihi si aliter sentias molestum."

DE CRISPA NIGRITARUM COMA.

INTER Nigritarum crispos tenuissimosque crines, et longos aliarum gentium capillos, tantum interest, ut quidam speciei discrimen inde quæsitarint, illosque a cæteris hominibus distincto genere ortos esse, ex hac re putaverint. Quod super Afrorum capitibus crescit verene lana appellandum sit, multum dubito. Ab ovium lana certe plurimum abludit. A nostris capillis * in eo solum differre, quod radicibus exiguioribus enascatur, et quod filum unumquodque longe tenuius sit, qui hanc rem scrutati sunt affirmant. Præcipua vero inter pilos lanamque distinctio ex fili superficie pendet, quæ in hac scabra est, et facile crispanda, in illa polita et glabra. Quod si id quo tegitur Æthiopis vertex, reliquorum hominum crinibus genere non vere

* Dr FORSTER et Dr J. HUNTER.

sit diverso, argumentum quod *principii errore* nititur flocci faciendum est. Sin vero re ipsa lana sit, ne idcirco quis nimium festinans concludat Lybiæ nationes Europæ incolarum profecto non esse congeneres, sed circumspiciat, et quæ in aliis animantium generibus fiant, animadvertat.

Pluria enim bestiarum genera hic lana, illic pilis tecta est videre. Ovis fera, *Argalis* * dicta, qua nostræ pecudes oriundæ sunt, lana pilis commista operitur. In quibusdam etiam Britanniæ partibus, ubi nulla fere cura procreationi ovium adhita fuit, pili inter lanam enascuntur. Hoc neque ex cœli genere nec alia hujusmodi qualibet e causa pendere inde novimus, quod eæ ex toto grege, quibus vellera præstantiora esse contigit, si a reliquis discernantur, atque ad prolem procreandam serventur, lana brevi mutatur in meliorem, et omnis demum stirps nullis pilis hirsuta optima vellera ferre observatur. Modo quoque huic prorsus contrario, lana proculdubio decresceret, et pili tandem omnino superarent.

* PALLAS, Spicileg. Zoologica.

Neque hoc interdum casu factum esse est ambigendum.

Greges Scythicarum* quarundam gentium pilis fortibus lana crassa commistis teguntur, neque in aliam quamcunque regionem abducti, ipsi aut eorum progenies ullam mutationem subeunt.

Pecora Tibettiana optimis† velleribus spectanda sunt. Æthiopici contra greges, sub cœlo haud multum absimili, et in situ fere pari, pilis crassis operiuntur.

Inter hæc et istas mutationes, quæ e cœlo pendent, nihil communis esse nemini non manifestum erit. De his postea dicendum erit.

In quibusdam caprorum stirpibus lana, aut quiddam lanæ quam simillimum, producitur. Idem quoque fit in nonnullis canum prosapiis ‡.

Nullum igitur argumentum ex crinium in variis gentibus textura deduci posse, quo omnes homines ab eadem stirpe oriundos esse

* PALLAS, Voyages en Siberie. † BLUMENBACH.

‡ COOK's Last Voyage.

negare fas sit, satis, ut censeo, ex *analogica* ratione patet. Eandem contra variationem alia animantium genera subire manifestum est.

Crines porro crispos non omnibus Nigritarum gentibus esse, neque inter Africæ incolas solum inveniri, haud alienum erit animadvertere. Plures enim horum populorum, Caffrarii exempli * gratia, et Congoenses †, capillos nostrorum fere pares habent. Crispata cæsaries contra inter gentes quæ terras australes obtinent, sæpe a navigatoribus observata fuit ‡.

Neque desunt exempla hujusmodi varietatis inter nostrates de novo enatæ. Puer ante aliquot annos in comitatu Eboraci Europæis parentibus natus fuit, cui super capite lana crescebat, vel quiddam saltem lanæ simillimum, quod ex oculatis testibus mihi narratum est. Neque hoc exemplum talis rei unicum est intra paucos annos in Britannia observatæ. Alia enim accidisse feruntur.

---

* Paterson's Travels. † Cavazzi.

‡ Forster's Observations, and Cook's Last Voyage.

Nulla igitur distinctio generum ex hac diversitate constitui potest.

DE FORMÆ VARIETATE.

Opera Naturæ perlustrantes eam unitatem frustra quærimus, quæ in promptu est in iis rebus quibus ars humana originem dedit. Illa enim semper et ubique varietate potius gaudet. Satis ab eà æqualitati tributum fuit, cum leges quasdam generales constituerit. Passim similia profert, paria verò nunquam gignit. Hujus variantiæ insatiabilis jucundissimus poëta meminit, qui Epicuream disciplinam Latinis carminibus ornavit.

Præterea genus humanum, mutæque natantes,
Squammigerum pecudes, et læta armenta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas, fonteisque, lacusque,
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes;
Horum unum quodvis generatim sumere perge;
Invenies tamen inter se distare figuris.

Nec ratione alia proles cognoscere matrem,
Nec mater posset prolem; quod posse videmus,
Nec minus atque homines inter se nota cluere *.

Atque iterum,

Postremo quodvis frumentum; non tamen omne
Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis.
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.

Hæ observantiones nulli rei verius applicari possunt, quam corporum omnium animantium conformationi et mensuræ, compositioni membrorum, et oris humani præcipue lineamentis. Si quis vero interroget, unde tanta diversitas in prole parentum eorundem oriatur, nihil profecto respondere possumus, nisi quod hoc universo Naturæ tenori consentiat.

Jamdudum rerum naturæ investigatoribus pernotuit, omnem corporis conformationis partem jure hæreditario transmitti. Consti-

* Lucretius, de Rerum Natura.

tutionum minora etiam discrimina, et nostros sensus penitus fugientia, quæ ad alios morbos alios homines procliviores faciant, per longam ætatum seriem proli a parentibus sæpe fuisse tradita, inter omnes medicos consentitur. Tantus est Naturæ variantiæ amor, ut multa quotidie exempla sese oculis nostris ostendant, in quibus hæc observatio vix ac ne vix quidem tenere videatur; in universum vero æstimanti, talis legis efficacia maxime conspicua est, neque alias certe insignior quam in eo quod attinet ad externam hominum speciem. Latet quoque nonnunquam per aliquot ætates, quod de colore jam notavimus, hæreditaria forma, tandemque in nepotibus renascitur. Cujus rei LUCRETIUS mentionem his versibus fecit.

Fit quoque, ut interdum similes existere avorum
Possint, et referant proavorum sæpe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
Mista suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt a stirpe profecta.
Inde Venus varia producit sorte figuras,
Majorumque refert voltus, vocesque, comasque *.

* De Rerum Natura.

Hæc nulla alia re clarius illustrari possunt, quam per exempla a Doctore Gregory prolata. Et tantum sententiæ auctorem me habere magni æstumo *. Fœminam ille rure degentem visens, quæ a veteri quodam Scotiæ *Cancellario* oriunda fuit; quum in ædes intrasset, inter avorum imagines expressum hujus viri vultum conspexit, insignemque admodum similitudinem inter ejus oris lineamenta, et mulieris quæ ibi tum temporis habitabat, animadvertit. Quod cum ei significaverat, idem a plurimis jam observatum fuisse comperit. Nasus erat utrique amplus et illius formæ quam *Aquilinam* dicunt, totique faciei nihil defuit eorum, quæ Scotorum vulgo peculiaria habentur. In vicum postea egressus, pluribus hominibus obviam fuit eodem prorsus vultu notabilibus. Tum vero mirabundus quid rei esset, sciscitatus est. Et causa brevi in aperto erat. Antiquus enim ille loci dominus plures nothos genuerat, a quibus oriundi fuerunt ii omnes qui ejus ora referebant.

---

* Dr Gregory, Prælectiones Med.

In hoc exemplo unius hominis forma, hæreditario jure transmissa, plurimorum pagi ubi degerat habitatorum post annos cl elapsos communis erat.

Fratres ejusdem familiæ et remotiores etiam consanguinei, quadam inter se similitudine plerumque præditi sunt. Eandem etiam lineamentorum formam domos totas percurrentem observare quotidianum est. In vico aut oppido, ob longinquitatem vel situm locorum haud multum ab alienigenis visitato, ubi incolæ per longam annorum seriem a reliquis mortalibus discreti, inter sese nuptias conjunxerunt, varietatum hæreditariarum fit quasi communicatio, omnesque fere vultu plus minusve sibi invicem consimili insignes evadunt. Quod vix quenquam fugere potest in multis Angliæ partibus evenisse, qui itinera per eas faciat. Eædem profecto causæ inter gentes latiori dominatione, et potentia multo majore agunt. Morum religionumque discrimina, sermonum discrepantiæ, et mutuæ aversationes inter vicinarum regionum incolas, societatem et connubia impediunt. Dissimili-

tudo, tempore prælabente, perpetuo gliscit, et gentilis orum conformatio innotescit. Neque alia, ut credo, ratione Anglos inter et Scotos quis explicare poterit diversitatem. Nemo certe tam audax est, ut eos ab eadem origine cretos negat, vel utriusque gentis peculiaria cœlo soloque differentibus adscribat.

Quinetiam in forma vultus corporisque varianda, atque in colore stirpis, et inter nos, et in brutis animalibus mutando, insignem vim artes hominum exercent. In multis Angliæ locis, armenta boum constanti fere colore prædita videntur; quod, ex usu jamdudum constituto, omnes vitulos jugulandi qui optati coloris haud nascebantur participes, evenit. Hic autem, ingenio hæreditario indies confirmato, proprius tandem universo fere gregi factus est. Iisdem quoque adminiculis nituntur, qui in equorum indole constituenda, aut servanda, intendunt operam. Iis tantum quibus dotes perpetuandæ maxime conspicuæ sunt, pro stirpe gignendo utuntur; quo fit ut figura peculiaris, et membrorum compositio vel fortis vel speciosa, demum

conficiatur. Germanorum equos * Gallicis multo pejores olim fuisse, ex veterum testimonio cognovimus. Illi autem quod hodie his tantum præstent, causis supra recensitis adscribendum censeo. Artis enim in singula animalia perexigua est potentia, nec unquam, ut credo, ejus effectus hæreditarii fiunt.

Eadem ratione, formæ inter varias gentes variæ opinionis in diversitatibus confirmandis efficaciam, ingeniosus auctor explicavit †. Connubia, inquit, in hanc opinionem plerumque conjunguntur, ex quo fit ut ora hominum communi exemplari propiora quotidie sese fingant. Inde decor et venustas præstantiorum in multis civitatibus ordinum, si cum servis aut plebe conferas. Quod in Otaheite, Owhyee, aliisque insulis australibus, inlustres nostri navigatores insigniter evenisse ferunt. Causæ eædem effecerunt, ut homines nobilioris gradus in variis Europæ regnis sibi invicem consimiliores sint quam plebes. Formæ inter has gentes æstimatio opinione satis defi-

* C. C. Tacitus, de Moribus Germanorum.

† Dr S. S. Smyth.

nita nititur, cujus effectus in superiores quam in ordines infimos hominum multo major est. Quod si opinio de pulchritudine contraria prorsus uspiam valeret, effectum contrarium insequi necesse est. Hoc inter Nigritas et Calmucos * maxime valere novimus.

Humanitatem, vitæque excultæ consuetudines ex causis pollentioribus esse, quæ nitorem vultui impertiunt, gestusque magis decoros reddunt, vel cuivis manifestum est. Naturæ autem leges prohibere videntur, ne talis, aut quælibet alia mutatio arte effecta progeniei unquam transmittatur.

Causæ supra recensitæ idoneæ sunt, ut opinor, quæ lineamentorum gentilem variantiam, et omnes etiam quæ inter homines existant formæ diversitates, satis dilucide explicent. Quod si quis discrimine nimio a se invicem disjunctos censeat Europæos, Æthiopes, Mongolosque, quam ut talis explicatio sufficiat, nosque oportere vel varietates in gente humana haud minores re ipsa fuisse enatas, stirpique traditas ostendere, vel analogiæ rursus adminiculis nisos, naturam effræ-

---

* Pallas, Voy. en Siberie.

nate perinde in reliquis generibus lusisse, paresque mutationes et miras æque in his molitam esse, ac illas quas in nostra ei tribuimus exemplis minime dubiis probare, hæc quoque conari haud repugnabimus, neque propositi eatenus compotes difficiliter evasuri videmur.

Notabiliora variatæ conformationis exempla, quam ulla eorum discriminum, quæ gentium propria sunt, et illa ipsa ante oculos exorta habemus. Hujusmodi enim mihi videntur quæ ab inlustri nostro D. STEWART * adducuntur; familiarum scilicet historiæ verrucosa cute, et sex digitis insignium.

De illa bis in Annaliis Regiæ Societatis Londinensis dictum est, annis nempe 1732 et 1755 †.

Homo in quo primum hoc miraculum apparuit, in comitatu Suffolk natus est. Cutis ei tota, immunibus solum capite, palmis manuum, pedumque plantis, verrucis duris, et innumerabilibus operta fuit. Forma iis cylin-

* Prælectiones de Phil. Moral.

† Philosophical Transactions.

dracea erat, et fuscus color. Adeo duræ erant, ut manu perfricatæ crepitarent. Longæ circa pollicem, et quam maxime confertæ crescebant. Pennis etiam hystricis plerique contulerunt. Autumno vel hieme quotannis eas pro novis mutavit, et tum temporis semper ægrotabat. Quo tempore secunda harum narrationum prodiit in publicum, xl annos natus fuit, et valetudine optima semper usus erat, præterquam quod variolam et salivæ cursus duos subierat: quibus morbis tenentibus verrucæ deciderunt, convalescenti autem novæ enatæ sunt. Quod vero maxime e re nostra est, sex liberos genuit, omnes ipsius consimiles, et hujus affectionis participes. Illi ipsi et his omnibus verrucæ novem circiter septimanos natis accesserunt.

Alterum de quo mentionem fecimus exemplum, ingenioso Maupertuis auctori debemus *. Familiæ, ut refert, duæ in Germania erant, quibus sex digiti constanter per plures ætates fuerunt. Jacobus Ruhe, chirurgus Berolensis, ex una earum erat. Ille sex ma-

---

* Maupertuis, Venus Physique.

nu et pede utroque digitis natus est. Matri et aviæ idem contigerat. Mater solitæ formæ homini nupta octo liberos peperit, quorum quatuor eam referebant, reliquis patri similibus. Ipse quoque Jacobus Ruhe suam conformationem progeniei tradidit.

Ex quibus, ut mihi videtur, satis constat, qui his varietatibus insigniti sunt, si cum paribus semper connubia conjunxissent, stirpem sui similem et constantem edituros fuisse. Si autem sæculo et rerum humanarum conditione his faventibus exorti essent, nullus dubito quin gentes hominum multo magis a nobis differentes, ideoque pro originis diversitate validiora argumenta præbentes jam reperiremus, quam ulli mortalium qui terræ hoc ævo munera vescuntur.

Jam vero si ad alia animalium genera oculos advertamus, magna in his quoque formæ variantia conspectui fit obviam, quod etiam domi in promptu est, in equorum boumque armentis, gregibusque pecorum. Boves ovesque hic cornibus armati sunt, alibi his carent. Aves quoque cicures infinitam varietatem ex-

hibent*. Stirpes gallinarum in Anglia ubique est videre, unguibus quinque præditas, aliasque uropygio carentes. Suum quoque prosapias habemus, quibus ungulæ solidæ, quum reliquæ hujus generis pedibus trisulcis sint.

In aliis regionibus majora discrimina referuntur. Pecora in quibusdam Scythiæ locis, mirum est quam nostrorum dissimilia sint, quod inlustris PALLAS notavit, eaque accurate descripsit †. Magnopere inter se diffe-

---

* E volucribus altilibus varietatum numero et insigni discrepantia certe eminent gallinæ. Habentur magnæ, minutæ, proceræ, pumiliones, cristarum parvitate vel multiplicitate, aut thiaris plumaceis insignes, urrhopygio carentes, flavipedes, plumipedes; habentur toto corpore reversis plumis hirsutæ; imo in India nascitur varietas, plumis lanuginosis albis vestita, et cute per totum corpus nigra. Et hæ omnes exceptis Indicis innumera colorum diversitate ludunt.—PALLAS, Spicel. Zool. Fasc. 4.

† On ne trouve nulle part des moutons aussi gros ni aussi difformes que ceux des Kirguis. Ils sont plus élevés qu'un veau naissant, et fort pésans. Ils ressemblent un peu pour les proportions aux moutons des Indes. Ils ont la tête très bosselée, de grandes oreilles pendantes; la lèvre inférieure devance beaucoup la supérieure. La plupart ont une ou deux verrues couvertes de poils, qui leur pendent au cou. Au lieu de queue, ils ont un gros peloton de graisse rond presque sans laine au-dessous. Les queues des

runt et membrorum compositione, et mensura equi Arabum et Germanorum *. Boves in extrema Africæ australis ora longis cruribus insignes; armenta Britannica brevibus notata sunt †.

Diversitas formæ, quæ in gente humana maximam physicorum attentionem jure sibi vindicavit, in figura calvariæ est. Majora in hac ipsa discrimina inter feras cicuresque suum, equorum, boumque stirpes observantur ‡. Gallinæ Patavinæ mirum hujusmodi exemplum præbent §.

---

gros moutons pesent 30 à 40 libres, et donnent 20 à 30 l. de suif.

* Blumenbach. de Gen. Hum. Varietat. Nat.

† Ibid. ‡ Ibid.

§ "Notum est earum (scil. Gallinarum) nonnullas fasciculos plumarum longe maximos, pugnoque virgineo sæpe pares in vertice gerere, ob eosque a curiosis cohortalium avium cultoribus in deliciis haberi. His olla cranii superne in testam hemisphæricam, variis foraminulis pertusam, et quasi e carie antiqua sanatam dilatata esse solet; quæ quo major, eo foraminulentior magisque exesa est. Cerebrum præter morem luxurians hujus testæ omnem cavitatem explet. Foramina autem et defectus ejusdem solum extus pericranium firmat et occludit."

Pallas, Spicel. Zool. Fasc. 4.

DE VARIA GENTIUM STATURA.

Varietatum congenitarum indoles hæreditaria staturæ quoque inter gentes differentis explicationem præbet. Inter nostrates et in singulis hominibus, et in familiis totis, maximam in hac re diversitatem quotidianum est ut observemus.

Gigantum legionis historia a rege Borussorum conscriptæ, quæ in urbe Germanica per multos annos commorata, et cum ejus incolis nuptiis conjuncta, eos in populum Europæ procerissimum mutavit, jam sæpe dicta est *.

Hominibus staturæ exiguæ figura raro tam decore conformata, membraque adeo apte sibi congruentia, quam procerioribus sunt. Caput et truncus nimis magna sunt, si cum brachiis cruribusque conferas, totumque cor-

* Dr Forster's Observations, &c.

pus fœtus formæ proprius est. Inde figura peculiaris Samoiedum et Isquimoum.

Inedia, frigora, stimulorumque defectus ab ineunti pueritia passis, haud dubito quin staturam minuere possint. Hanc vero mutationem stirpi vix tradendam esse censeo.

Jam vero varietates si non omnes, quæ recensione dignæ sunt, præcipuas saltem, et eas quæ gentes hominum maxime distinguunt, enumerasse videmur. Nec quenquam fugere potest, nullam earum esse, cujus similem et fere parem in multis aliis generibus etiamnum provenire haud proclive sit ostensu. Quæ omnia si quis animo rite expendeat, hos similes effectus paribus causis tribuendos esse, non potest quin fateatur, neque ideo nodum potius incidentibus quam solventibus, aut species diversas a principio mundi fuisse constitutas temere nobis assumendum, aut causas in auxilium adsciscendas esse, quas observatio sola hujus litis arbitra idonea non comprobavit. Ad veras autem Naturæ potentias, quæ tales mutationes parere potuerint, quatenus intellectui nostro illas indagare concedatur, considerandas venimus.

DE CAUSIS MUTATIONES IN ANIMALIUM SPECIE PRÆCIPUEQUE HOMINUM PRODUCENTIBUS.

Hæ curatius intuentibus in binos ordines distribuendæ videntur.

1. Quæ in singula animalia agentes mutationes in ipsis edunt.

2. Quarum effectus in prole tantum appareant, stirpisque peculiares fiant.

Ad hanc profecto partem omnes varietates spectant, de quibus jam dictum est, atque in ea continentur. Illæ autem prius considerandæ sunt, quæ quoad rationem et effectum prorsus alienæ videntur; quum autem ad diversitates hominum producendas nonnihil conferant, nimiumque iis, ut nobis persuasum est, vulgo tribuatur, efficaciam earum prius definire convenit, quam ad reliquas tentandas aggrediamur.

1. *Causæ quæ ipsa animalia mutant.*

Nihil in physiologia manifestius est, quam multa fruentibus vita corporibus extrinsecus admota, magnis in ea viribus pollere, insignesque et in iis quæ in aperto, et sensui obvia sunt, et in constitutione intima effectus edere.

Est in solis radiis nescio quæ potentia, qua et animantium corpora, et ea quæ gignuntur e terra, multum afficiuntur. Hæc, si ex locis ubi crescunt, lumen penitus excludatur, colore albescenti plerumque reperiuntur*. Neque absimili rationi illa referenda existimo, quæ in animalibus fiunt, deque anni temperie quodammodo plane pendent. Aves æstate plumis splendidiores, colorumque magis fulgenti nitore, quam hieme plerumque observantur. Bestiis etiam quadrupedibus color saturior est. In regionibus aquilonalibus genera pluria tempore brumali sævientे, plus minus albescunt, et quædam vel niveo candore insignes fiunt. Quod lepores montium Caledoniæ subeunt †.

* Dr Home, Prælect. Med. † Ibid.

Verum enimvero in his omnibus exemplis, ex summa intentione et diuturnitate causæ, effectus in ulterius efferri non posse videtur. Mutatio transitoria est, neque progeniei unquam transmittitur. Stirps similis parentum semper nascitur, et eidem variationi solum proclivis.

Iisdem causis agentibus similia in gente humana eveniunt. Hominibus qui sub dio multum morantur cutem saturatius coloratam videmus, quam iis qui nihilo candidiores nati a cœli ardore tecti degerunt, et hoc manifestius æstate quam hieme est. Inde rubor et fusca facies agricolarum, pallor urbes habitantium. Cutem suam saturiore colore æstivo, dilutiore hiemali tempore quivis animadverterit. Qui cœlum suum ardentiori mutarunt, qui itinera trans maria fecerunt, annon hi fusciores facti sunt? Regionum calidarum incolæ quam frigidarum, modo solis radiis se exponant, quanquam eodem colore nati cito saturiore insignes fiunt. Mauri *, qui neque Hispanis neque Gallis, neque magna nostratium

* Vide infra ubi hoc comprobatum est.

hominum parte, quoad colorem nativum, fusciores sunt, brevi facile dignoscuntur. In horum omnium terris liberi albi nascuntur, et fœminæ quæ ab ardentibus solis radiis sese tegant, candidissimæ, ut pernotum est, perstant.

Hæc vero mutatio, perinde ac illa quam in brutis animalibus notavimus, transitoria est; minui cœpit statim atque tollantur causæ, quæ eam pepererant, nec unquam stirpi transmittitur. Pueri æstate geniti non fusciores sunt, quam qui hieme. Agricolarum filiæ formosæ sunt sæpe et candida cute. Neque nautam a mari redeuntem fuscos liberos procreaturum esse credendum est. Immo in Mauritania gentes, quæ per sæcula sine numero regiones sole ferventes obtinuerunt, candidam progeniem adhuc edunt. Colorem parentum adquisitum nullam in partu mutationem edere posse pro comperto habemus. Mutationis quam modo in bestiis volucribusque evenire diximus, similis videtur.

Neque vero in colorum exemplo tantummodo effectus de causis adventitiis pendentes in ipsis corporibus, ad quæ externa vis admota fuerit limitatos, omnique in stirpem po-

tentia destitutos esse putamus. Nihil magis in universum tenere videtur, quam omnes qualescunque conditiones adquisitas, sive ars, sive casus denique eas confecerit, cum ipsius mutati animalis vita desinere, nec in ullo exemplo progeniem earum esse participem. Artem hominum et in brutis, et in nostris corporibus plurimas variationes efficere, seu aliis causis, sive necessitate ad talia tentanda moveamur, in promptu est cognoscere. Caudas auresque animalibus domesticis quotidie resecamus. Plures gentes membra in formas naturali dispares artificiose fingunt. Æthiopes, ut fertur, nasos comprimunt: fœminæ Sinenses pedes: Caribbæi vertices. Aliis præputia circumcidere mos fuit. Nos coacti necessitate morborum et casuum, membra quotidie amputamus, aliaque multa in corpora nostra molimur.

Quæ cum in animo perpendeamus, nihil horum hæreditario jure tradi adeo in propatulo versari videtur, ut quempiam de hac re dubitasse miremur. Cuivis occasiones quotidianæ de ea certiorem faciendi se contingunt. Veruntamen sunt, et fuerunt, qui contra dispu-

tare voluerint. Hi paucissimis et maxime dubiis exemplis sententiam suam firmare conantur. Judæorum* pueros Gottingæ sine præputiis natos fuisse autumant, canesque atque feles curtis auribus caudisque, quorum parentibus hæc resecta fuerant.

At hæc rarissima exempla modo longe similiore vero, et generali Naturæ tenori magis congruente, explicanda censemus. Naturæ ipsi, non arte tribuimus. Annon pueri nostratium hominum sæpe cum præputiis brevissimis, vel fere nullis nascuntur, et per omnem vitam sic perstant? Quod cum Judæis quoque interdum contigit, opinioni de qua agitur præbuit, ut puto, locum. Nulla prægressa hujusmodi causa, partium quarundam tum defectus, tum excessus frequentissime innotuerunt. Si hominem videremus, quod haud raro fit, brachio, vel crure, vel utrisque mancum, hoccine eo adscribere cuiquam in mentem veniret, quod pater ejus membrorum subiisset amputationem. Sed ex tali ratiocinatione orta fuisse, quæ de curtis canibus feli-

---

* Blumenbach, de Gen. Hum. Var. Nat.

busque jactitantur credo, nec ullis magis perspicuis testimoniis, hæc opinio niti videtur.

Talia profecto pericula ampla adeo experiendi facultate semper et ubique facta fuerunt, ut sententiam nostram pro comperta habere legitimum esse arbitremur. Gentes plures præputii circumcidendi consuetudine per longa sæcula sunt usi. Hoc inter Judæos plus tria millia annorum valuisse novimus, et quod minime esse posset, modo aliquid veri in hac sententia inesset, adhuc tenet. Hodie etiam reliquis mortalium similes nascuntur, neque necessitas eadem peragendi sublata est. Quod fieri oporteret. Mirum sane ni temporis amplum satis spatium concessum sit. Inter nos diu et pæne universe caudas auresque equorum, aliarumque cicurum bestiarum decurtare fuit mos. Ætate vero quæ insequitur, auribus caudisque præditæ sunt, mox quamvis ipsæ resecentur progeniem integram daturæ.

Si vis consuetudinis quidquam in hac re efficere posset, certissime effectus ejus oculis obviam fierent. Sed nihil ineptius est quam de vi consuetudinis sermonem facere, cum

violentia et læsio in unoquoque succedenti exemplo, haud minor quam in primo facta sit. Si crura avis meis per decem ætatum seriem amputata fuerant, egone idcirco sine cruribus fuissem natus? Verum hoc fortunati sumus, quod nec amputationum, nec excisionum, neque fracturarum, quas patres passi sint, soboles hæredes fiant.

Natura nisi hac lege salutari nostræ felicitati consuluerat, quam horrida spectacula nobis offerret animantium omne genus! Sæculorum omnium præteritorum infausti casus in hanc miserrimam ætatem cumulati incumberent, eademque perpetuo ratione in pejus ruerent, donec universa terra tantum abforet ut pulchritudinis et voluptatis esset sedes, theatrum ubi benevolentia divina almam et admirabilem bonitatem exhibere gestiat, ut diris informibusque monstris ubique repletam inveniremus. Stirpes animalium oculis, nasis, auribus, dentibus, brachiis, aut cruribus destitutas, passim videremus.

Qui sunt in hac opinione cum celebri Monboddo minime dubitare oportet, homines caudatum primitus fuisse genus, atque

per avorum artem stetisse, quod hujusmodi appendice hodie careant. In Arimaspos, Monoscelos, Cyclopes quotidie incideremus, vel potius omnes jamdudum facti essemus. Verum paucissimos horum puto credulos existere.

Mutationes, quæ de casibus, vel externa vi quomodocunque adhibita pendent, consimili ratione agere, iisdemque terminis earum potentiam definiri, quibus illæ quæ dedita opera factæ fuerint, in dubium vix revocari potest.

Prolis conformatio, cum quadam semper in variantiam congenitam proclivitate, primæ et nativæ parentum constitutionis exemplar constanter imitari videtur, nec unquam ab ulla conditione adquisita affici.

Quod in minutissimis etiam varietatibus, quæ corpora morbis opportuna reddunt, perinde valere videtur, atque in illis quæ sensus nostros feriunt. Constitutio parentis quanquam istas mutationes qualescunque subierit, quibus proclivitas ad plures ægritudines, variolas nempe, morbillos, varicellam, tussim convulsivam, aliasque omnino tollitur; liberi

tamen non ideo minus iis obnoxii nascuntur, quam illi fuerant. Proclivitas autem quibusdam morbis, primo intuitu, nobis inimica esse videtur. Credibile est fortasse quis dicat, veluti arthritidi opportunitatem longa ebrietatis consuetudine invectam esse. Hanc vero progeniei transmittendam constare, ideoque in hac re exemplum præberi, quod adquisiti status corporis posteros hæredes fieri satis comprobet. Verum enimvero cum hæc intentiore judicio perpendamus, omnia pro nostra sententia quam maxime facientia videntur. Namque si eadem causarum nocentium series, et earum, quæ ad ægritudines prona reddere corpora, et earum quæ excitare existimantur, vitæ intemperantia scilicet, et reliqua hujusmodi in plures homines sanis familiis ortos, sine ulla rerum aliarum variatione potentiam exercerent, effectus plus minus diversos in utroque ederent. Hunc forsan arthritis cruciaret; illum corriperet apoplexia; tertius hydrops fieret; alius deliraret; alius pulmonum, alius jecinoris tabe deperiret. Causis autem paribus, solum discrimen in his exemplis in naturali constitutione situm esse

patet. Quædam conformationis diversitas alios aliis adfectibus obnoxiores reddidit. Proclivitas cuivis eorum adquisita esse non potest, quia eædem causæ, quæ in hoc homine eam peperisse existimantur, si in alium egerant, diversam opportunitatem produxissent. Est igitur in primo uniuscujusque morbi ortu, quædam proclivitas ad talem potissimum adfectionem, quam Natura ipsa effecit, vel quæ sola ex nativa corporis constitutione pendeat. Hæc autem opportunitas, cum ex congenita varietate constet, hæreditario jure traditur. Non ita conditio adquisita; si enim filius causas excitantes vitet, immunis evadit. Inepta itaque mihi jactare videntur, qui deteriorem progeniem dictitant, ob vitia parentum fieri, morbosque et miserias illos longum in ævum cruciaturas, delictis horum et nequitia conflari.

Hic vero venerea forsan lues nobis objiciatur, utpote adfectio morbosa, et plane adquisita conditio quæ proli traditur. Hæc pestis, si revera quod pluribus quidem persuasissimum est, jure sit hæreditario, necesse est humores secretos, quanquam aliter sentiant me-

dici hujus sæculi maxime sagaces, veneno inficiantur. Fœtus autem contagione paterna imbutum esse, matre prorsus incolumi perstante, tam enormem fidei modum postulat, ut vix ac ne vix quidem, fateor, me inducere possim ut talium miraculorum historiis credam. Ab experientia de rerum humanarum tenore, et eventibus sola testimonii verique coarguandi sana ratione, multo probabilius esse, eos qui hæc portenta retulerunt, præsertim cum tanta sint in hujusmodi re falsa proferendi incitamenta, mendacia finxisse, vel ab aliis accepisse, quam quæ narrant re ipsa evenisse docemur. Quod si rem ita se habere, pro comperto concedamus, nullum argumentum exinde deduci potest, quod opinioni nostræ inimicæ faveat. Si enim corruptis humoribus secretis fœtus contaminetur, id quasi adhibito veneno fit, quod transmissioni hæreditariæ conformationis peculiarium, seu naturalium sive adquisitorum, nulla ex parte simile est.

Causæ quoque externæ in animalia agentes magnam mutationem in vestimento eorum naturali efficiunt. Id seu lana, sive pilis

constet, cum eo consilio a Natura constitutum sit, ut corpora tegat, et cœli intemperantiam defendat, in illis locis ubi maxima talis muniminis necessitas est, abundantius reperiendum putaremus. Quod quidem experientia comprobat. Lana ovium citior, crassior, et longior tempestate brumali, et in regionibus montosis et aquilonalibus crescit, quam æstate et in planitie aprica, et calidiori. Hæc agricolæ perspecta habent, multumque exinde fructum in velleribus in melius mutandis capiunt. In occidentali Angliæ parte mos diu valuit pecora in ovilibus hieme includendi. Et hodie in Hispania greges, vergente anno, ex montibus frigidis in planities meridiem et austrum spectantes, quotannis deducuntur. Est vero certus modus et finis, ultra quem cura pastoris hac ratione rem provehere non potest. Si longius emendationem efferre velit, ad stirpium misturam confugiendum est. Pecora si in terras ardentiori sole calentes transferantur, lana in pilos protinus immutatur. Hoc munimenti genus calorem facilius quam illud transmittit, ideoque ferventi cœlo magis idoneum est.

Quæ mutatio illius omnino dispar est, quæ ex varietate nativa pendet, et cujus jam mentionem fecimus. Hæc per ætates plurimas, et mutato cœlo situque constans permanet. Illa, causis ablatis, statim in pristinam conditionem reducitur. Si enim pecora ipsa, quæ in Indiam Occidentalem transvecta pilos ibi induerant, in Britanniam referantur, pili decidunt, et vellus primigenium rursus enascitur. Altera varietatum in humano genere observatarum par est, et jam ei contulimus. Alterius nihil simile in homine compertum est.

Pili quoque canum et equorum, ut omnibus notum est, crassiores et magis conferti hieme et tempestate frigida, quam æstate, crescunt. In regionibus fervidis canes pilis quam maxime tenuibus vestiuntur; in quibusdam etiam locis fere nudi esse feruntur.

Victus quoque genus magna vi in has secretiones pollet. Pecora, quæ gramina nimis luxuriantia carpunt, lana sunt crassa et texturæ vilioris.

Capilli vero humani capitis ornatus, ut videtur, potius quam munimenti consilio gene-

ri nostro tributi, hüic legi minime parent. Hi, veluti alia quæ secretione in corpore nostro conficiuntur, validiores et magis abundanter, dum functiones ejus caloris stimulo incitentur, quum sub hiemali rigore sese proferunt.

Hæ mutationes omnes transitoriæ sunt, reliquarum instar mutationum adquisitarum.

Quicunque hæc animo perpenderit, tales causas magna efficacia valere in specie et animalium brutorum varianda, et nostræ potissimum gentis, perspectum habebit. Has autem minime idoneas esse quibus discrimina majora et magis insignia adscribamus, potentiasque gravioris momenti in auxilium advocandas simul sentiet. Hæ vero in varietate congenita quærendæ sunt, de qua observationes maxime attentione dignas jam exponere conati sumus. Causæ quæ hanc producunt, secundam nostræ distributionis partem constituunt.

2. *Causæ quæ stirpem mutant.*

Mutationum istarum ratio, quæ faciant ut animalia progeniem a se in quibusdam re-

bus diversam gignant, quæ diversitas etiam postea stirpi transmittenda est necesse est ut tenebris circumfusa maneat, donec generandi facultatis physiologiam multo quam hodie exploratius cognitam habeamus. Dum enim functionis ipsius naturam prorsus ignoremus, quomodo modos ejus, et variationes eruere sperare possumus? Planetarum aberrationes quis explicare conatus esset, antequam leges quæ orbium cœlestium circuitus regant, labores philosophorum illustraverant? Cur cuniculus vel felis cinereus in eodem partu, et ab eodem patre genitos pullos flavos, nigros, albos, maculatos enixa erit, quis hodierna scientia fretus se excogitaturum autumet.

Si hanc rem adeo obscuram, quodammodo tandem illustrare spes est, omnium quæ et antecesserunt et comitantur accurata observatione, id solum fieri potest. Oportet causæ sint quædam, quæ in corpora parentum agentes mutationem qualemcunque ignotam in his effecerint, unde evenerit ut proles peculiaribus notis prædita gignatur. Has causas constantioris generis esse, et parentum naturæ

infixiores, neque omnino transitorias, et de casu pendentes, ex eo concludi potest, quod iidem parentes partibus pluribus, et spatio diuturno interjecto, progeniem iisdem proprietatibus insignem genuerint. Exemplum ipse novi, in quo eadem mater temporibus diversis tres liberos *leucæthiopica* constitutione præditos peperit.

Absoluta variatione proles plerumque in cœli auras prodit, neque incrementum postea nisi primis interdum annis capit. In uno plerumque partu perficitur. Veluti duobus Nigritis vel Europæis sæpe filius nascitur, cui nihil *Leucæthiopibus* peculiare deest. Oves albi agnos nigros gignunt: Cuniculi cinerei prolem niveo candore, vel saturatissima nigritudine notandam. In quibusdam exemplis mutatio omni partu per duos tresve ætates augetur. Soboles similibus proprietatibus, sed modo magis conspicuo quam parentes, continuo editur. Quod fit in passerculis canariis *, et præcipue in gallinis patavinis †.

---

* J. Hunter on Animal Economy.

† Pallas. Spicel. Zoolog.

Mures colore vulgari cum in loco teneantur *, ex quo lumen penitus excludatur, progeniem albam procreant. In hoc exemplo res antecedentes notare possumus, quæ variationis causam præbent. Mures albi, ut fit in omnibus animalibus *Leucæthiopicæ* constitutionis, peculiaria sua transmittunt. Hic igitur exemplum habemus prosapiæ coloris diversi parentum exortæ.

Causæ pari, ut censeo, defectui nempe luminis albarum stirpium exortus in generibus animalium, quæ terras polo septentrionali propinquas obtinent, adscribendus est. In quibusdam harum regionum ursæ et vulpes interdum solummodo albi conspiciuntur, reliquo genere fusco vel nigro : in aliis hoc magis generale est, ac in nonnullis albus color est constans et peculiaris. Nullus dubito quin vulpes et ursæ nostrates in tenebricosas illas sedes transvectæ, brevi prolem albam edituræ sint.

Hoc vero unicum est, ut credo, exemplum nexus satis comperti inter locos et animalium

* Dr HOME, Prælect.

naturam, quæ illos obtinent. In aliis sane localem situm eandem, vel diversas mutationes efficere posse, non est penes me negare. Experientia autem non adhuc comprobavit, et quoniam hæ statim se ostendant, et in uno partu absolutæ appareant, si hujusmodi causa ulla potentia prædita fuit, effectus minime latere possent. Migrationes animalium sine ulla variatione huic adscribenda quotidie fiunt. Soricum stirps extranea, illam quæ indigena nostræ telluri erat, fere delevit; ipsa autem in nulla re ex prima sua specie deflexit. Et hujusmodi exempla sine numero passim est videre. In humano genere idem constare omnibus in aperto est.

Verum maximis longe viribus, et latissime pollens varietatis causa ex conditione domesticata et exculta, cui cicura animalia contra naturam assuescunt, quærenda est.

In forma florum * et coloribus potissimum insignis variantia ex cultura provenit, quod herbarum studiosis pernotum est. Tanta vero in animalibus est vitæ do-

---

* Wildenow's Lectures.

mesticatæ in his mutationibus ciendis efficacia, ut genus bestiarum, aut avium cicurum haud in promptu sit invenire, quod maximas coloris diversitates non exhibeat. Veluti in equorum boumque armentis fit, in canibus, felibus, cuniculis et gallinis *. Quædam horum, ut feles et cuniculi, feri in Britannia reperiuntur, et in hoc statu unius et constantis sunt coloris. Varietas igitur nullis causis præter vitæ genus adscribi potest. Ea itaque est hujusce causæ potentia, ut effectus totius absolutioni et perfectioni et diuturnitati sola suffecerit. Eodem, ut existimo minime violatis *analogicæ* rationis legibus, varietates connatas omnes humani generis referre licet. Verum agendi modum longe a me abest, ut explicaturum me profitear. Quomodo fiat ut rebus omnibus antecedentibus, quatenus sensuum et mentis acie attingere queamus, prorsus iisdem, pulli nunc albi, nunc nigri, vel ambo in eodem partu in lucem edantur, plane ignoro, neque valde me nescire pudet, dum omnes homines partici-

---

* Pallas, Spicel. Zool.

pes ignorantiæ habeam. Veruntamen pluria sunt variationis exempla, et in animalibus, et in iis quæ nascuntur e terra, quæ ad nullas causas adhuc exploratas relegare possumus. Hæc quia scientia hodierna inexplicabilia sunt, casui, ut fit in aliis rebus, adscribere mos fuit. Vulpes in Kamtschatka omnibus colorum discriminibus notantur, quæ in genere felino cicuri in Britannia videmus.

Figuræ diversitatis causa magis fortasse quam coloris etiam in obscuro versatur. Quis unquam mortalium formæ ad infinitum variatæ animalium, stirpium, foliorum, faciei humanæ lineamentorum mente causas attigerit? Si in ulla re fors in auxilium advocanda esset, hic certe liceret.

Conditionem domesticatam in hac variatione augenda plurimum valere, præcipuamque insigniorum exemplorum causam esse verisimillimum videtur, cum animos ad mira animalium cicurum discrimina advertamus. Quantum a nostris equorum boumque armentis, suumque et ovium gregibus feræ bestiæ distant, quibus hæ prosapiæ satæ sunt! Singularis gallinæ patavinæ forma eodem referen-

da est. Sed nihil magis ad rem nostram facit quam canum diversitas, de quibus inlustris Pallas mentionem fecit. " Eorum quidem*," inquit, " tanta hodie varietas est, ut antiquissimum inter hominibus addicta animalia jure haberi possint; præsertim quum etiam sponte, et naturali quadam sympathia, ex amore effluviorum forte nata generi humano amici esse videantur."

Causæ igitur hujusmodi sunt, quibus diversitates humani generis adscribendas censemus. Discrimina insigniora et altius insita, quæ nempe hæreditario jure sunt, *congenitæ varietati* tribuimus. Multum tamen sine dubio *adquisitæ conditioni* referendum est, quæ a potentiis physicis et moralibus conficitur. Ex conjunctis ambarum viribus omnis effectus pendet.

Has causas dum attente animo contemplemur, videmur nobis, quanquam earum ratio

* Spicileg. Zoologica.

haud omnino intelligatur, et quod revera existant, ostendisse, et quod ad *phænomena* explicanda valeant comprobasse. Satis, ut censemus, constat legem per animantium genera constitutam esse, cui unaquæque species obtemperans, proclivis est ad formam coloremque primigenium mutandum, omnesque humanæ gentis varietates, analogia quam proxima, huic adscribendas esse. Magnum igitur contra normam philosophandi errorem erraverimus, quæ monet, ut pares effectus in rebus naturæ paribus causis tribuamus, neque ullas adsciscamus incertas et supervacaneas, si aut ficta opinione, et argumentis destituta, quæ genera postulat a mundi principio diversa nodum incidere tentemus; aut in eorum denique verba jurare nos addicamus, qui de tarda et per sæcula latentis *climatum* potentia, aliisque causis minime comprobatis, tanta et tam indefinita jactant.

Tametsi autem nobis concedatur, omnes homines ejusdem *speciei* esse, ab iisdem parentibus genitos fuisse adhuc negari potest. Omnes mundi regiones ex prima rerum ori-

gine paribus et hominum et brutorum animalium stirpibus simul repletas esse, quidam forsan contendere velint.

Cum unius tantum familiæ creatio satis sit ad effectum explicandum, talia haud licet fingere. Omnia argumenta, quæ in hanc partem adduci possint, ex difficultate rationem inveniendi pendent, qua longinquæ, et reliquo orbe divisæ regiones hominibus et cæteris animalibus repletæ sint.

Quod ad humanum genus attinet, hæc ratiocinatio funditus ruit, cum incolas *Easter* insulæ et *Madagascaræ* *, interjecta dimidia fere orbis parte, eadem familia satos esse, parique lingua uti animadvertamus, et alia mira sane sed satis certa, quæ de plurium gentium migrationibus probe auctores retulerunt. Et si de brutis animalibus dicendum sit, rerum scrutatio nostræ opinioni fidem arrogat. Loca maxima longinqua, et accessu difficillima, a paucis admodum generibus obtinentur, iisque quæ causis adventitiis facilius transvecta esse possint. Viam migrationis plerumque inda-

* FORSTER's Observations, and COOK's Last Voyage.

gare possumus, qua ex alia in aliam continentem terram transibant *. Omnia fere genera quæ idonea sunt ad iter per terras aquilonales sustinendum, et in veteri et novo orbe repe-riuntur †. Inter ea quæ fervidæ plagæ propria sunt, hoc in uno vix exemplo evenit. Mutationes quoque quas terræ superficiem subiisse notum est, perpendendæ sunt.

Hæc igitur sententia nullis argumentis nititur. Analogia et verisimilitudo eam oppugnant. Antiquorum gentium annalium testimonia pro nostra sententia lites ineunt. Quorum nonnulla posthac adducenda sunt.

DE SENTENTIA QUÆ VARIETATES HOMINUM DE CŒLO PENDERE FACIT.

De illa opinione maximo ingenii acumine defensa, quæ habuimus, sufficiant necne ad e-

---

* Pennant's Arctic Zoology. † Ibid.

am refellendam expositis, ad vulgariorem sententiam considerandam venimus, quæ nativum gentium colorem cœlo sub quo degunt adscribit, quæ longa sub ardenti plaga habitatione nigritudinem Æthiopes adquisivisse tenet, omnesque demum hujusmodi varietates, quas in nostro genere invenimus, ad regionum calorem, moresque populorum, et consuetudines relegat.

Si fautores hujus opinionis interrogemus, quomodo fiat ut Nigritarum liberi in Britannia perinde nigrescant, ac parentes in Africa ipsa nati, ad commentum statim confugiunt, quod oculorum testimonium oppugnat. Progeniem in his exemplis aliquantulum deflexisse contendunt, quamvis tam levi discrimine ut sensuum penitus aciem fallat. Effectum autem longo sæculorum lapsu incrementum perpetuo capientem, eo usque tandem fuisse provectum, ut ad maximas generis nostri diversitates valuerit absolvendas.

Magnam calori cœli efficaciam adscripsimus, hanc vero in parentum constitutione definiri, nec unquam tali mutatione prolem adfici certamus.

Et hujusmodi discrimine, quod jam notavimus, fit ut Iberi Gallis fusciores sint, et Mauri Iberis; in horum enim omnium terris liberi et mulieres quæ solis ardores a se arcent, omnes æque candidæ sunt; de qua re ab iis quæ sequuntur certiores fiemus.

"Mr Bruce assure," ait Buffon, "que non "seulement les enfans des Barbaresques sont "fort blancs en naissant, mais il ajoute un fait, "que je n'ai trouvé nulle part; c'est que les "femmes qui habitent dans les villes de Bar- "barie, sont d'une blancheur presque rébu- "tante, d'un blanc de marbre qui tranche "trop avec le rouge très vif de leurs joues*."

"Les Maures ne sont pas naturellement "noirs, malgrè le proverbe, et comme le pen- "sent plusieurs êcrivains, mais ils naissent "blancs, et restent blancs toute leur vie, "quand leurs travaux ne les exposent pas à "l'ardeur du soleil. Dans les villes les fem- "mes ont une blancheur si éclatante, qu'elles "éclipseroient la plûpart de nos Européennes. "Mais les Mauresques montagnardes sans

* Buffon, Hist. Nat.

" cesse brulées du soleil, et presque toujours à " moitié nues, deviennent même dès l'enfance " d'une couleur brune, qui approche beau- " coup de celle de la suie*."

Filias Maurorum candidas esse, SHAW probatissimus auctor Anglicus refert†.

Tanti sunt vires quæ solis ardori nobis tribuendæ videntur. Effectus vero earum jure hæreditario tradi negamus. Qui hoc affirmant, oportet suam opinionem argumentis tueantur. Quod quidem exemplis in testimonium adductis, facere conati sunt.

Judaicæ præcipue gentis exemplum proferre gestiunt‡. Hi, inquiunt, a communi stirpe oriundi, nullis aliarum gentium connubiis, vetante nempe religione infecti, colorem cujusque regionis ubi habitare contigit peculiarem nihilosecius adquisiverunt. In Britannia et Germania candidi, fusci in Gallia et inter Turcos, adustiori in Hispania et Lusita-

---

* POIRET. (Voy. en Barbarie) apud BLUMENBACH de Gen. Hum. Var. Nat.

† SHAW's Travels. ‡ BUFFON et SMYTH.

nia facie, in Syria olivæ colore, in Arabia et Ægypto nigricantes sunt.

Si autem in rerum narratione veritati propius accesserant, conclusionem huic sententiæ minime amicam fecissent. Semper enim et ubique Judæi pristinam constitutionem, et eundem colorem nativum conservarunt. In Anglia etiam corporis habitum, qui sanguineus nominatur, nunquam inter eos inveniri, crinesque contra nigros universæ fere genti peculiares esse, in proclivi est observare. Verum hæc ipsa constitutio, quæ nempe comis oculisque nigris, et vultu in flavedinem paulo proniori notatur, per omnes fere terras in Asia, in Europa, et in Africa, quas Judæi incolunt, priscasque præcipue eorum sedes valet. Si igitur aliquid caloris potentiæ concedamus, qua corpora ei obnoxia ex naturali statu mutentur, Judæi ubique iidem reperientur. Arabes etiam, qui deserta pervagantur, omnesque Asiaticæ gentes, quæ regiones Palæstinæ circumjectas incolunt, candido corpore nascuntur, quod in Africa septentrionali fieri, supra ostendimus. Quæ his comprobantur.

"Il n'y a femme de laboureur ou de pay-
"san en Asie, dit BELON, qui n'a le teint
"frais comme une rose, la peau délicate et
"blanche, si polie et si bien tendue, qu'il
"semble toucher du velours *."

"LA BOULLAYE dit, que les femmes des
"Arabes du Désert sont assez laides, parce
"qu'elles sont perpetuellement au soleil, mais
"qu'elles naissent blanches; que les jeunes
"filles sont très agréables †."

"Les princesses et les dames Arabes, dit
"un autre voyageur, qu'on m'a montré par
"le coin d'une tente, m'ont paru fort belles,
"et bien faites: on peut juger par celles-ci,
"et par ce qu'on m'en a dit, que les autres
"ne le sont guères moins: elles sont blanches,
"parce qu'elles sont toujours à couvert du
"soleil. Les femmes du commun sont ex-
"trêmement halées ‡."

Eadem quoque de Siculis, aliisque Europæ meridionalis gentibus, de Turcis, de incolis Græcarum insularum et oræ Africæ septen-

* BUFFON Hist. Nat. † Ibid. ‡ Ibid.

trionalis, viri fidei dignissimi qui inter hos populos versati sunt, mihi retulerunt.

Satis igitur constat in omnibus terris, quas Judæi habitant, præter illas ubi constitutio sanguinea prævaleat, reliquos quoque incolas nigris oculis capilloque nasci, et alba cute. Eodem quoque et illis colore nativo et hæreditario, non est cur ab his in hac re differant. Ubi autem sanguinea constitutio teneat, veluti in Anglia Germaniaque, Judæi priscis et gentilibus notis adhuc præditi sunt, et per eas a reliquis populis distinguuntur.

Lusitanorum* exemplum qui anno 1500 ad oram Africæ occidentalem delati, sedes ibi adquisiverunt, quasi indubitabilis ejusdem opinionis comprobatio jactatur. Horum enim posteri colorem et oris formam Nigritarum ipsorum peculiarem induerunt. Protinus autem in hac re tollitur admiratio et argumenti vis, cum probe compertum esse animadvertamus, eos nullas secum attulisse mulieres, nuptiasque ex illo tempore cum fœminis indigenis conjunxisse. Sane miratu dignum

* SMYTH et BLUMENBACH.

foret, ni tali causa per tot sæcula valente, assimilati perfecte jamdudum et absolute essent.

In ejusdem rei testimonium Anglo-Americani * ab ingenioso satis auctore advocantur. Hi, ait, et colore corporis crinibusque, et faciei lineamentis mirum quantum Aboriginibus telluris jam accesserunt. Carolinæ et Georgiæ incolas paululum admodum a fulva Iroquorum cute distare refert. Calores fervidos æstatis multum valere in his regionibus, in eorum cute coloranda, qui solis radiis sese exponant, debilitatemque ab iis invectam, et morbos biliosos maximam in specie corporis mutationem efficere, nemo ibit inficias. Verum enimvero hujus rei narratorem, opinionis suæ amore illectum, longe a veritate aberrasse, non possum quin credam, cum omnium reliquorum hominum testimonia toto cœlo ab illius abhorrere animadvertam. G. Herriot †, ut unum ex pluribus excerpam, auctor summa fide dignus, et cui optimæ explorandi oc-

* Smythii on the Varieties of the Human Race.

† G. Herriot.

casiones contigerunt, verbis quam maxime conspicuis affirmat, Anglico-Americanos ex nulla parte a progenitoribus immutatos, ac nihil omnino colori indigenarum accessisse; unde satis patere censet, hanc constitutionem ex cœlo situque regionum quas incolunt nequaquam pendere. Eodem profecto consentiunt, quæ ex omnibus quos cognovi, iisque pluribus hac terra profectis, sciscitatus comperi. Porro si hæ causæ tantum in America Septentrionali valebant, eundem effectum in insulis nostris occidentalibus a fortiori ratione ederent. Quod tantum abest ut rebus ipsis comprobetur, ut plures viros ex his terris ortos testantes audivi, nullum prorsus coloris discrimen, quod sensus acies attingere potest, inter earum indigenas, et Anglos ipsos intercedere, nisi quod sub dio qui multum morantur adustiori fronte notentur. Liberi et fœminæ, quæ colorem cœli arcent, pulchri juxta ac nostri sunt. Qui a priscis colonis oriundi sunt, et quorum avi sanguineæ constitutionis fuerunt, hujus notis, cœruliis nempe oculis, coma flava, et cute candida adhuc insigniuntur. Ipsi cum annum unum et alte-

rum in Britannia egerunt, a nostratibus colore haud dignoscendi sunt. Eadem de meridionalis Europæ populis White observavit *.

Long, Jamaicæ historiæ auctor, pueros affirmat in Anglia natos cute plerumque haud præditos esse candidiori, quam alborum parentum prolem in Jamaica editam †.

Sæviente ante annos 150 civili bello, (cujus rei White auctor est), plurimæ familiæ in Jamaicam emigrarunt, de posteris quorum, quæ supra retulimus observanda sunt ‡.

Idem, auctore Carolo de Gimbernat, medici Antonii filio, multas familias Hispanicas quæ in America meridionali v vel vi ætates habitarunt, et a connubiis cum aboriginibus se abstinuerunt, perinde candidas ac ipsos avos Europa natos perstitisse refert §.

Doctoris Smyth fusæ et indefinitæ observationes de Nigritis Americanis nihil argumenti præbent. Servos equidem domesticos nigritudinis esse minus austeræ, speciemque

* White on the Gradation of the Human Species.

† Ibid. ‡ Ibid. § Ibid.

præ se ferre magis nitidam et decoram, quam qui ab ineunti pueritia vel nudi ab ardoribus Æthiopici solis adusti sunt, vel in Georgiæ et Carolinæ arvis sub sævo et crudeli istorum libertatis dignissimorum alumnorum flagello immiserabiles gemuerunt, haudquaquam est veri absimile, neque exinde quidquam comprobatur quod in ejus rem faciat *.

Glandem penis †, saltem partem ejus quæ præputio tegitur, albam in Nigrita esse pervulgatum est. Quidam satis temere, ut opinor, exinde concluserunt, contactum aëris et solis radiorum nigritiei esse causam. Nihil autem in hac re veri inesse, totamque glandem esse perinde nigram, ac alia quævis pars est, testantibus oculis ipsis compertum habeo. Idem de scroto aliisque perpetuo tectis observari potest ‡.

---

* Smythi.

† Blumenbach. de Gen. Hum. Var. Nat. Buffon, &c.

‡ Scriptor Germanus quidam audax sane omnia pro sua sententia tentare, et loci longinquitate a convicti mendacii periculo se fore tutum ratus, Scotos ex consuetudine nullis braccis utendi, quæ diu hic valuit, pene nigro præditos esse prædicavit.—Blumenbach.

Hæc sunt exempla a fautoribus opinionis de qua agitur citata, quibus colorem gentium ex cœlo plagisque pendere, et oris adustiones hæreditario jure transmitti, hoc rationum genere ostendere conati sunt. Plurimum de consilio decidisse vix ac ne vix quidem necesse est animadvertere. Verum quidem hæc ipsa exempla ad falsitatem sententiæ coarguendam sola sufficiunt. Si enim quid veri ei inesset, liberi et fœminæ Africæ septentrionalis incolarum, Arabiæ desertæ, et Syriæ, haud fieri posset quin ejus coloris forent, quem efficiat cœlum sub quo degunt. Contrario autem res ipsa evenit. Opinio ergo ex qua illud necessario consequitur, vera esse non potest.

Buffon, Smyth, et Blumenbach * solis potentiæ in Æthiope nigritie tingendo ægre fidentes, ad morborum auxilium sese contulerunt. Gentes omnes nigricantes, regio morbo, haud sane exoptanda hæreditate, conflictari putant, naturamque tam mira potestate ad rerum variationem se aptandi præditam esse

---

* Buffon, Smyth, Blumenbach.

autumant, ut postquam ægritudo per aliquot ætates transmissa fuerit, constitutio corporis sensu ejus effectuum ingratorum prorsus carere incipiat, et valetudinis prosperæ commodis omnibus fruatur, perstante nihilosecius gravissimi morbi specie. At hoc ingeniosum commentum, neque veritati niti ostendere possunt, neque si concedatur, ad effectus quos ei referunt explicandos valet. Blumenbach *leucæthiopum* exemplo sententiam suam illustrare, et stabilire conatus est. Primo hujus varietatis ortu omnia morbosæ adfectionis indicia adesse dicit. In cuniculis autem quibus per plures ætates constans permansit, nulla sanitatis signa desunt. *Leucæthiopes* infirmiorem stirpem in omni genere constituere, haud est in dubium revocandum. Idem profecto plus minus fit in cunctis varietatibus leviore colore insignitis, velut in Germanica aut sanguinea constitutione: nihil vero est cur hos vel illos morbo laborare credamus. *Leucæthiopes* homines quos ipse vidi, speciem bonæ valetudinis præ se ferebant. Eandem varietatem in brutis animalibus quotidie enasci videmus; sana sunt in

primo ortu, nec ullam deinceps mutationem subeunt. Ægritudines quidem bile suffundentes in regionibus fervidis vulgares esse novimus, sed Europæos istuc profectos potius aggrediuntur, quam ipsos indigenas. Has totas gentes regio morbo laborare, dum ad omne sensuum nostrorum testimonium, optima valetudine fruantur, adeo ineptum est ut tempus in eo refellendo minime volens triverim. Si autem concedamus omnes ex quo tempore primum in cœli auras prodeunt, vel brevi postea ictero gravi occupatos, ratio coloris haud exinde reddi queat. Longe enim distat arquati morbi flavedo, a nigritudine Æthiopum.

Hactenus de hujusmodi rationibus. Jam ad argumentum alius generis, nec levioris momenti considerandum venimus.

Colorem hominum cœli calorum, sub quo degunt, ubique servare modum affirmant; in frigidis nempe terris candidos esse, in calidioribus fusciores, et in mediis mundi plagis, ubi ardores maxime intensi sæviunt, summam nigritudinem induere. Huic legi generali raras

exceptiones extare, et quæ habita ratione situs locorum, vicinitatis montium mariumque, ventorum qui maxime in quocunque loco perflant, morum gentibus peculiarium in variando naturæ virium effectu, explicari possint*. Hæc sane argumenta momentosa videntur, et quæ difficiliter, modo vera fuissent, respuenda forent. Prius autem quam ex his quidquam constituamus, curatius animadvertamus, et quanta et qualia sint ea, quæ ex hujus legis ditione excipiantur, perpendamus. Primum itaque hæmisphærium meridionale totum excipimus, ubi nullum quantulumcunque talis effectus vestigium invenire possumus. Novi orbis deinceps immensa spatia, a regionibus septentrioni ipsi subjectis ad loca semper australi frigore rigentia, excipimus, et omnes Asiaticas terras a flumine Obia ad extremum orientem. In Europa denique postea ut censeo patebit, falsa solum veritatis specie hanc ingentem erroris molem niti. Quæque harum partium separatim consideranda est.

---

* SMYTH, BUFFON, &c.

In hac indagatione colorem cutis qui ex adustione per solis fervores adquiritur, attente distinguere oportet ab eo qui stirpi cuique naturalis est, et corpore congenitus. Ille proculdubio cœli potentiæ ubique opportunus reperietur, semperque plus minus pro distantia locorum a mundi polis erit. Quod ad hunc autem longe aliter se res habet.

In terra Africæ continenti, omnes gentes, quæ sub circulo æquinoctiali incolunt, summo nigrore præditæ; atque prout ab eo versus polum occultum recedamus, in minus austerum deflectentes, donec cum ad regiones temperie cœli gaudentes perveniremus, juxta ac in Europa albescentes, reperiendæ forent.

In orientali Africæ parte *, Gallæ, natio magna et barbara, albo colore in fuscum leviter vergente, cum crinibus nigris prolixisque, regiones lato extensas, et sub ipso æquinoctiali circulo sitas, obtinent.

Versus extremitatem meridionalem inter tribus Nigritarum progredientibus, nigritudo sine ulla diminutione illius quam sub circulo ipso conspicimus æqualis perstat. Congo-

* Bruce's Travels.

enses, ut a Cavazzi docemur *, nigra cute crinibusque tortis notantur.

Intra tres vel quatuor gradus a promontorio austrino, ad gradum xxxi a circulo, in orientali Africæ ora, ubi cœlum tantum abest, ut ardore intolerando urat, ut segetes hiemalibus sæpe frigoribus noceri constet; Caffraria gens tota quæ hæc loca tenent, cujus rei a fidissimo auctore certiores facti sumus, nigritudinis quam maxime austeræ sunt †.

De Monomotapiis, Mosambaicis aliisque, quæ ad septentrionales horum fines incolunt, idem pernotum esse vix pretium est animadvertere ‡.

Insula *Madagascara*, quæ secundum Smyth mitioribus auris ab Oceano Indico perflantibus recreatur, per longam sæculorum seriem a duabus gentibus occupata fuit. Altera olivæ colore, comisque prolixis est, et ut videtur a Malaicis oriunda, simili enim earum lingua utuntur: Altera veri Æthiopes summa nigritudine et crinibus crispis §.

* Chevalier Cavazzi's Account of Congo.

† Lieutenant Paterson. ‡ Vide Buffon.

§ Abbé Rochon's Account of Madagascar.

At Hottentotes haud nigri sunt; flavi coloris sunt, in fuscum vergentis *; gradus unius et alterius a finibus Caffrorum distantia, tanti discriminis causa non esse potest. Quam igitur alibi quærendum est, neque longum erit satis efficacem invenire.

Barrow †, observator sagax et dignus fide, qui Macartney legatum a rege Britannico ad imperatorem Sinæ missum comitatus est, et qui postea in Africa australi itinera fecit, atque inter Hottentotes multum versatus est, insignem congruentiam in conformatione corporea harum gentium peculiari notavit. Palpebra superior, inquit, veri Hottentotis, in inferiorem prope nasum rotunde flectitur, nullo interiore angulo, ut in Europæis hominibus. Articulationes et extrema membra utrisque exigua sunt. Vox et modus eam edendi parum discrepant. Ingenio, colore et oris lineamentis, lata nasi radice, obliquo situ oculorum, qui multum a recto variantes versus nasum deprimuntur, similes sunt.

* Sparrman. Barrow.

† Barrow's Travels in Africa.

Crines quidem nonnihil differunt. Hottentotis comæ, quamvis crispæ sint, a crinibus Nigritarum haud parum abludunt; asperæ sunt et in cincinnos tortæ, tales prorsus quales ex his duabus gentibus connubiis commistis producendas crederemus. Compertum habemus ex observationibus ingeniosi Barrow, Sinenses Oceanum Indicum latis navigus olim transvectos, cum Africa commercium agere consuetos esse; et Marcum Paulum in uno horum iter ad Madagascaram et ad continentem terram ipsam fecisse. Neque hoc veri absimile videtur, cum perpendamus animo, Indos quorum commercium maritimum nunc temporis in exiguius quam ipsorum Sinensium spatium coercetur, olim usos esse latissimo, pontumque omnem qui est a Madagascara usque ad insulam *Easter*, quod ex diffusione eorum sermonis cognovimus, perlustrasse. Dum hæc omnia contemplor, mihi quidem persuasissimum est Hottentotes a Sinensibus oriundos esse. Sit vero hæc vel alia demum illis origo, hoc saltem constat, colorem eorum de cœli genere non pendere,

cum proximi eorum finibus ex omnibus Africæ incolis saturatissimi forsan nigrent.

Explorate igitur novimus in australi Africa nullum coloris per cœli potentiam variati indicium extare, cum homines, qui intra duos tresve a promontorio gradus incolunt, quamvis temperie fruantur, atri admodum sint.

Qui mortales Indicam tellurem obtinent, ex media gente constare videntur, a terræ aboriginibus mistura alienigenarum hominum, qui variis sæculis in eorum regiones irrupuerunt, infectis oriunda. Hæ quidem commigrationes ex ævo prisco habuere principium. Namque Brahmæ* vetus illa religio ab extranea gente e septentrionali profecta regione invecta fuit. Sæculis recentioribus, a vastis incursantium Mongolorum multitudinibus terra devicta est, et in ditionem redacta. Hi, diuturna connubiorum cum antiquis colonis mistura, notas peculiares ex magna parte amiserunt, et victores et subditi in unam eandemque gentem tandem coaluerunt. Quaprop-

* Sir W. Jones's Works, vol. i. & Lettres de M. Baillie, à M. de Voltaire.

ter, ut censeo, Indos hodiernos Calmucas in multis referentes novimus. Lineamenta oris similia sunt; neque desunt ex quibus concludere fas sit, colorem medium esse inter domitorum flavescentem, et illum qui aboriginum peculiaris fuit.

Non igitur in continente terra barbarorum quorumlibet incursionibus obnoxia, sive imperitandi cupido exstimularit, sive impulerit indigentia, sincera Indicæ stirpis species quærenda est. Vestigia autem ejus in insulis vicinis contra violentiam prædatoriam circumjecto æquore feliciter munitis, forsitan reperire possimus. Insulas tum Indici maris, tum eas quæ longinquius in Oceano Pacifico sitæ sunt, binæ hominum stirpes incolunt*, quæ multum inter se differunt, neque tamen quadam carent similitudine, quæ communem ex aliqua parte originem iis vindicat. Una harum colore prope accedit, et in quibusdam exemplis par est nigritudini Æthiopum; crines crispi sunt, et lanam referentes; corpora exilia, statura brevis, ingenium barbarum et sæ-

* Dr Forster's Observations.

vum. Altera quæ Indis terræ continentis similior est, candidiori cute est, membris et statura majoribus, forma magis decora, moribusque cultus et humanitatis minime expertibus.

Illa quæ secundum Doctorem FORSTER, qui has regiones cum inlustri nostro COOK perlustravit, aborigines sunt, in pluribus insularum ad medias et montosas partes confugerunt, planitiesque et loca maritima recentioribus colonis occupanda reliquerunt. Editiora Moluccarum, Philippicarum, Formosæ et Borneæ obtinent, omnem Novam Guineam, Novam Britanniam, Hiberniam, Caledoniam, Tannam, Mallicollam, Novam Bataviam, et ultimam Diemenicam tellurem. Recentior natio Sumatram incolit et reliquas omnes Indici maris insulas, et in Pacifico æquore Otaheiten, insulasque Socias, Amicas, Marquesas, Ladrones, Marianas, et Carolinas, et illas quibus nomina *New Zealand*, *Sandwich et Easter* nostrates imposuerunt. Hi omnes lingua utuntur Malaicæ consimili, oriundi proculdubio ab hujus regionis incolis, qui longinquiora pelagi spatia, olim navigiis per-

currerunt. Nigrantes autem gentes ubique barbaræ sunt, et sermonibus utuntur inter se, ut auctor FORSTER est, omnino dissonis.

Neque in hac neque in illa stirpe ulla cœli effectus vestigia invenire possumus. Hæc enim per vastam Novæ Bataviæ insulam, quæ magnas caloris varietates complectitur, ubique nigritudinem conservat, quamvis colonia Anglica, quæ gradus quinque ab extremitate meridionali distat, cœlo fruatur Britannico haud absimili *. In frigida etiam Diemenica tellure, quæ extendit se ad 45°, (et loca in australi orbis parte sita multo magis frigere, quam quæ pari spatio ab æquinoctiali circulo versus septentrionem distent, omnibus pernotum est), omnes incolæ saturatissime nigri sunt, et crinibus crispis capite teguntur Nigritarum similibus †.

De stirpe quoque Malaica eadem prædicari possunt. Candidissima insularum Indicarum gens sunt Sumatrani, qui sub rectis solis radiis vitam degunt. Europæorum interdum

* COLLINS' Account of New Holland.

† COOK'S Last Voyage.

accedere albori auctorem MARSDEN habemus. Ille etiam progeniem Europæorum refert, in hac terra editam, nihil omnino ab eorum colore differre, qui in nostris regionibus nati sunt, dum servi Æthiopici nigrissimi post plures ætates perstent *.

Ex omnibus gentibus a Malaicis oriundis, incolæ Otaheitæ, quæ inter metas solstitiales jacet, candidissimi sunt. Inter eos flavi crines haud raro reperiuntur; cum congeneres Novæ Zealandiæ populi, pari ab æquinoctiali circulo ac Nova Batavia distantia sitæ, ad gradum nempe 35° extendentis se, multo fusciores sunt †.

Cum igitur omnes terras circumspiciamus, quas obtinet Indorum natio, effectus caloris in hominum colores nuspiam deprehendi potest, quamvis per omnes cœli varietates se extendant, ab ardoribus solstitialibus ad frigora hiemalem Europæ aquilonalis tempestatem æquantia.

Orbis novi aboriginibus aniles modo Indorum alborum fictiones, Cambrici MADOCI exer-

* MARSDEN's History of Sumatra.

† FORSTER's Observations.

citus reliquiarum, et alia hujusmodi futilia commenta respuamus, insignem coloris unitatem constare novimus. Nihil prorsus intercedere discriminis inter populos quos arctos despicit, eosque qui in plaga ferventi propinquo sole uruntur, non sum qui ausim affirmare; momenti autem levissimi esse, adeo ut observatorum mentes penitus latuerit pro certo habeo, neque dubito quin adquisitæ conditionis aliorum exemplorum ad instar, transitorium et generi haud inhærens reperiendum sit.

G. Herriot, fidissimus auctor quem jam citavimus, omnes Americanos ejusdem coloris esse notat, quod pro argumento indubitabili eum de cœlo non pendere habet *.

Herrera eadem quoque de eorum colore refert; de quo et de origine harum gentium dicens, his verbis utitur: "Toda la demas "gente (los Mexicanos) tiene color de mem- "brillos cocidos." Atque iterum, "Es cosa "notable, que todas las gentes de las Indias "del norte y del mediodia, son de una misma "inclinacion y calidad; porque segun la me-

* Herriot's History of Canada.

"jor opinion procediëron de una misma parte; "y asimismo los de las islas, a las quales pa- "saròn de la tierra firma de Florida*."

Don ANTONIO ULLOA, aliique scriptores, a Doctore ROBERTSON citati, barbaros omnes novi orbis gentes, et septentrionalis, et meridionalis, eodem prorsus colore esse protulerunt. Illius testimonio majore fiducia nitimur, quod inter populos utriusque Americæ multum versatus est †.

STEDMAN ‡, qui cum exercitu Britannico ad Surinam profectus est, barbaros cupreo colore ibi visos refert.

HEARNE eadem affirmat de iis, quos ultra circulum septentrionalem vidit §.

MACKENZIE auctore novimus ¶, Knistenoos, gentem Isquimoum vicinam, cupreo colore esse cum nigris crinibus, omnesque Americæ septentrionalis aborigines eadem specie notandos esse.

* Historia de las Indias.

† ROBERTSON's History of America.

‡ Expedition to Surinam.

§ Journey to the Copper River.

¶ MACKENZIE's Journey to the Pacific Ocean.

WALLIS noster, Patagonios et incolas Terræ del Fuego ad instar Americanorum septentrionalium cupreo colore præditos esse, refert.

Terræ del Fuego incolas australis oræ, rubiginis ferri colorem cum oleo mistæ referre, et prolixis capillis notandos esse, auctor est inlustris COOK.

In his observationibus in aperto est Isquimoos non esse includendos; ii enim proculdubio stirpis alienigenæ sunt, et forsitan a Kamtschatkanis oriundi; color iis est flavedini propior.

Horum auctorum testimonia sufficiunt, ut credo, ad unitatem coloris Americanorum satis comprobandam.

Constat igitur ex indubitabilibus auctoritatibus, nullum caloris efficaciæ vestigium in corporibus hominium mutandis, aut in toto orbe novo, aut in omni hæmisphærio australi, reperienda esse: Tantum abest ut ullus sit ordo variationum solis propinquitatis situsque locorum modum servans.

---

* HAWKESWORTH'S Voyages. † Captain COOK.

Et jam venimus ad gentes Asiaticas considerandas. Omnes Asiæ regiones quæ ad orientem maris Caspii et fluminis Obiæ patent, locis quibusdam exceptis quos incolunt Ostiacæ et Tatari proprii ab Europæis orti, a duabus nationibus obtinentur, quarum altera cute nigritudini accedit, altera flavidi coloris est plus minus in fuscum vergentis *. Illa maxima terrarum spatia inter solstitia sita incolit, sed in utraque parte omnem cœli situsque varietatem sine ulla coloris hominum respondenti iis mutatione invenimus. Illa quæ Indorum nationem constituit, jam sub conspectum venit. De hac quam brevissimis dicendum est.

Vasti montium tractus, qui a Caspio mari ad ultima orientis tendunt, Mongolicarum gentium per longum ævum sedes fuerunt. Hi populi a reliquis omnibus mortalium distinguuntur. Forma eorum Europæis quam ullius Æthiopum tribus dissimilior †. Color

* PALLAS, Voy. en Siberie ; et BLUMENBACH, de Gen. Hum. Var. Nat. PINKERTON's Geography.

† PALLAS, Voy. en Siberie.

ab albo flaviore ad olivam vergit. Comæ, cum primum etiam in cœli auras prodeunt, nigrissimæ sunt. Statura brevis est, capita rotunda, aures ampliores, oculi oblique positi; simi sunt. Huic nationi nomen Tatarorum a nostratibus haud sine magno errore impositum fuit. Veri enim Tatari nihil habent cum iis commune, Europæis omnino similes.

Omnis orientalis Asia, exceptis modo locis a Tataris Ostiacisque occupatis, iisque quæ Tchutski gens forsan ab Americæ aboriginibus orta, et Indi, de quibus jam fecimus mentionem, tenent, plurimis gentibus sedes præbent, quæ Mongolis simillimæ sunt, et ab eadem stirpe, si probabilia conjectura licet sequi, oriundæ. Inter has Calmucas et Buriates, Mongolicæ gentis ipsius partem, recensemus, Samoiedes, Tungusios, vel Mansures Sinensium vicinas, Sinenses ipsos, Jacutos, Japponicos, et ultimos Kamtschatkanos *.

" Calmucæ proprii, Mongoli, Buriates, Kir-
" guses, Solones orientales, Tungusi Dauriæ,

* Pallas, Voy. en Siberie.

" et Sinenses septentrionales, sibi invicem si-
" millimi sunt *."

" Les Samoyèdes de l'Oby ressemblent beau-
" coup aux Toungouses †. Ils ont le visage
" plat, rond et large. Ils ont peu de barbe,
" et les cheveux noirs et rudes."—" On trou-
" ve les restes de cette nation dans la partie
" orientale de la Sibérie près de l'Enisséi. Les
" Koibals, les Kamaches, les Abotors, les Soi-
" ots, les Karagasses, ont la même figure que
" les Samoyèdes, et parlent tous leur langue."

" The Kamtschadales and Mungals ‡ are
" swarthy, have black hair, little beard,
" broad faces, nose short and flat, eyes small
" and sunk, the belly protuberant, and the
" legs small. The language of the Kamtscha-
" dales resembles the Mungal Chinese."

" The Japanese are in general, particularly
" the common people of Nisson, ugly, short,
" strong, thick-legged, tawny, with flattish
" noses, and thick eye-lids, though the eye
" stands not so deep in the forehead as in the

* PALLAS, Voy. en Siberie. † Ibid.

‡ STELLER, apud COOK's Last Voyage.

"Chinese. The noble families are more ma-
"jestic in shape and countenance, and more
"like Europeans *."

"The Tungusians are not so large as the "Yakouts, and have the sunk eyes, flat "nose, and broad faces of the Kamtscha- "dales †."

"Les Yakouts ressemblent aux Cal- "moucks ‡."

Tchutski et Koriaci ut ferunt LESSEPS, COOK aliique, forma lineamentorum et artuum Europæis similes sunt. Color flavus est fusco accedens ||.

Ex omnibus his populis, ut multi auctores a BUFFON citati retulerunt, Samoiedes nigrissimi sunt, et post eos Tungusii, Mongolis albo propioribus ¶.

"Les Tartars de Tobolsk ressemblent aux "Européens. Ils sont presque tous maigres "et basannés. Leurs cheveux sont noirs §."

* Dr ENGLEBERTUS KÆMPFER's Hist. of Japan.

† LESSEPS' Travels in Kamtschatka.

‡ GMELIN, Voy. en Siberie.

|| LESSEPS and COOK.

¶ BUFFON. § GMELIN.

Doctor Smyth, nescio qua auctoritate * nisus (raro autem vir iste ingeniosus, pulchras ejus imaginationes contemnendis adeo vinculis cohibet) easdem colorum varietates in Sinensi populo inveniri, quas in hac mundi parte observamus, gentesque septentrionalium provinciarum albas esse, et quæ soli propius habitant nigras affirmavit. Rem longe aliter se habere, ex testimonio fido gravis auctoris Barrow certiores facti sumus, cui maximæ observandi occasiones fuerunt. Hic de Sinensibus et Mansuribus eorum vicinis his verbis mentionem fecit:

" The Man-tchoo Tartars † are scarcely dis-
" tinguishable from the Chinese by external
" appearance :—the Chinese are somewhat
" taller ; but their features almost exactly
" resemble. The natural colour both of Chi-
" nese and of Tartars, seems to be that tint
" between a fair and dark complexion which
" we distinguish by the word brunet, or bru-
" nette ; and the shades of this complexion

* Smyth's Essay. † Barrow's China.

"are deeper or lighter according as they "have been more or less exposed to the in- "fluence of climate. The women of the low- "er class, who labour in the fields, or who "dwell in vessels, are almost invariably "coarse, ill-featured, and of a deep brown "complexion, like that of the Hottentots. "But this we find to be the case among the "poor of almost every nation. Hard labour, "scanty fare, early and frequent parturition, "soon wither the delicate buds of beauty. "We saw women in China, though very few, "who might pass for beauties even in Eu- "rope. The Malay features, however, prevail "in most:—a small black or dark brown eye, "a short rounded nose, generally a little flat- "tened, lips considerably thicker than in Eu- "ropeans, and black hair, are universal."

"The Man-tchoo Tartars appear to be of a "mixed race. Among them we observed se- "veral, both men and women, that were ex- "tremely fair, and of florid complexions *."—

* Barrow's China.

" Some had light blue eyes, straight or aqui-" line noses, brown hair, immense bushy " beards." Hos a Græcis Bactriæ ex parte ortos esse conjicit, quorum regnum ab hac gente deletum esse novimus *.

Fidorum igitur ex relatu auctorum compertum existimamus, has omnes regiones immensas, a gentibus obtineri sui invicem similibus, et, ut probabile videtur, eadem stirpe ortis. Id præcipue notatu dignum est, quod Samoiedes, Kamtschatkani aliique populi aquiloni propiora incolentes, cute multo fusciore præditi sunt, quam Calmucæ, Mansures, et Sinenses, quæ terras ferventiores tenent. Constat, ut credo, in his regionibus omni varietate cœli situsque distinctis, omni a circulo æquinoctiali distantia, ubi montes, valles, planities, insulas, et terras continentes, reperire sit, *climata* in humani corporis colorem nulla potentia pollere.

Jam vero ad Europam, Asiam occidentalem, et Africam septentrionalem, consideran-

* Robertson's India. Gillies's History of the World.

das pervenimus, regiones ubi cœli efficaciam maxime conspicuo ostendi existimatur. Hic igitur certe color hominum caloris regionum, et solis propinquitatis modum servare comperiendus esset. Incolæ frigentium terrarum pulchriores esse, ardentium atriori cute debent. Primum omnium, quod admiratione satis dignum videtur, in regionibus polo adfinibus, ubi secundum sententiam de qua agitur *Leucæthiopes* solum inveniendi forent, nihil præter gentes maxime fuscas et atras, ex omnibus hujus mundi divisionis habitatoribus, oculis obviam fit. Mauri Africæ, Arabes Desertarum, pulchra cute nascuntur, et, nisi adventitiæ causæ impediant, ita perstant, quod multis auctoribus jam comprobatum est. Lappones autem et Greenlandici *, qui vix unquam calorem modicum ex radiis solis sentiunt, omnes nihilo secius atri et fusci sunt. Hujusmodi solutio a Doctore SMYTH tentata est, quæ ipsius verbis exponenda videtur: " Extreme cold produces the same effect as

* BUFFON, &c.

"great heat *. It relaxes the constitution by "overstraining it, and augments the bile," &c. "In savage life, which does not afford the "means of support, &c. the florid and san-"guine principle is repelled, and the com-"plexion left to be formed by the dark-co-"loured bile fixed in the skin by the ob-"struction of the pores."

Talia sunt quæ explicationis specie vir bonus nobis voluit imponere. Hic certe, haud minus quam in doctrinis BOERHAAVII stabiliendis, opus est vitris LEUWENHOCKII scrutantibus. BLUMENBACH socio opinionis prudentior, causam eorum ipsis Lapponibus agendam reliquit.

Hactenus igitur omnia huic sententiæ repugnantia inveniuntur. Aliarum Europæ gentium fusa satis, et ad suam rem quam maxime faciens, erroribus vero referta descriptio a Doctore SMYTH prolata est. Horum unumquodque exemplum refutare haud foret operæ pretium. Satis in nostram partem fece-

* SMYTH's Essay.

rimus, si auctorum testimonio connisi, neque unquam imaginationibus fræna solventes, quam accuratissime possimus res depinxerimus, et cum horum opinione consentiant necne, comparatione experti fuerimus.

Regiones Europæ eædem gentes quæ nunc obtinent, ex primis sæculis quorum memoria ad ævum nostrum permansit, paucis earum tantummodo exceptis, incoluerunt. Ab exiguis plerumque hominum numeris victoriæ partæ, et terræ domitæ fuerunt, et paululum admodum mutationis in stirpe subacti populi factum est. Veluti Francorum 30,000, duce celebri Clove, ad magnam et incolis frequentissimam Gallicam provinciam in ditionem cogendam suffecerunt, brevique spatio, et constitutio victorum sanguinea, et Germanica lingua in ingenium Latino-Celtarum et corporis et sermonis submergebantur.

Variæ gentes, quæ hanc orbis partem fere per 2500 annos præteritos incoluerunt, ex tribus magnis nationibus constant, quarum unaquæque corpore, ingenio, et sermone sui similis, aliorumque dispar, perstitit.

1. In occidentali Europa Celticam nationem cute minus candida, comis oculisque nigris insignem, invenimus. Quo pertinent Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ et majoris Italiæ partis, incolæ antiqui et hodierni, qui priscam linguam diuturna Romanorum dominatione fere amiserunt: veteres Britanni, et Cambri, Armorici, Hiberni, Scoti proprii et Monæ insulares, qui servarunt.

Silurum* Iberis similitudo a TACITO notata fuit. Idem quoque hodie cuivis observatori obviam fit; neque hoc de Cambris solum, sed de omnibus quoque aliis Celtarum gentibus prædicandum est. "Silurum," inquit, "colorati vultus et torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Iberos veteres trajecisse, eosque sedes occupasse, fidem faciunt." Crines nigros et colorem adustiorem Celtarum omnium peculiaria fuisse, tum ex multis observationibus antiquorum aperte factis, tum ex eo quod sanguineæ constitutionis notas pro distinctione stirpis Germanicæ universi habuerunt.

---

* C. C. TACITI Vita AGRICOLÆ.

2. In Media Europa magna Germanica natio, quæ oculis cœruleis, crinibus flavis vel rutilatis, cute pulchra et rubicundiore ubique insignis est, Suedos, Norvegios, Icelandicos, Danos, Germanos et antiquos et hujus ævi, Saxones et Anglos, Caledonios vel Pictas, et ab iis oriundos Scotos planitiei, Belgas, Vandalos, Gothos, aliosque continet.

Has omnes gentes ejusdem stirpis esse, ex historia, similitudine linguarum, et ingenio tum corporis, tum animi liquet. TACITUS* his verbis Germanos depinxit: "Ipse eorum "opinionibus accedo, qui Germaniæ populos, "nullis aliis aliarum gentium connubiis in-"fectos, propriam et sinceram et tantum sui "similem gentem extitisse, arbitrantur. Un-"de habitus quoque corporum, quanquam in "tanto hominum numero idem omnibus, "truces et cœrulei oculi, rutilæ comæ, mag-"na corpora, et tantum ad impetum valida, "laboris atque operam non eadem patientia:

* C. C. TACITUS, De Moribus Germanorum.

" minimeque sitim æstumque tolerare, frigo-
" ra atque inediam cœlo solove adsueverunt."
Inter omnes veteres cœrulei oculi Germanorum peculiares existimabantur. Inde HORATIUS, " Nec fera *cœrulea* domuit Germania " pube." PLUTARCHUS de Cimbris dicens*, Germanicam originem iis adscribi refert ob colorem oculorum, "καὶ μάλιστα μὲν εἰκάζοντο Γερ-
" μανικὰ γένη των καθηκόντων ἐπὶ τὸν βόρειον ὠκεανὸν εἶναι
" τοῖς μεγέθεσι των σωμάτων, ϗ τῆ χαροπότητι των ὀμ-
" μάτων, ϗ ὅτι κίμβρους ἐπονομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς λῃστάς."
Quanquam MACPHERSONIS insomnia vehementer repugnent, nulla dubitatione impedior, quin Caledonios vel Pictas, posterosque eorum Scotos demissarum terrarum inter Germanicas gentes recenseam, cum universa antiquorum auctorum testimonia in eo consentiant. TACITUS ita de Caledoniis dixit†; " Rutilæ Caledoniam habitantium comæ, " magni artus, Germanicam originem adse- " verant." POMPONIUS MELA et BEDA ‡,

* PLUTARCHUS Vita C. MARII.

† Vita AGRICOLÆ.

‡ PINKERTON's History of Scotland.

Pictas qui Caledonii fuerunt ipsi, a Germanis vel Scythis oriundos esse, affirmant. Veræ Scotæ vel Gaëlicæ gentis nomen, qui nunquam ultra montes quas nunc obtinent pedem protulerunt, Romani prorsus ignorabant. Majores eorum Hiberni Attacotti in Scotiam anno CHRISTI 258, primum pervenerunt; quo tempore colonia a Riada deducta, et regnum Dalriadicum constitutum fuit. Hi populi, OSSIANI celebris bellatores heroici et magniloqui amatores, ævo cui ejus poemata vulgo referuntur, barbarorum sævissimi erant, carne humano vescebantur, mulieresque pluribus communes habebant, quod testibus St HIERONYMO et GILDA novimus *. Veri Caledonii Scotorum demissorum locorum majores fuerunt, et Germanica stirpe oriundi. Belgas Germanicæ originis fuisse auctore C. J. CÆSARE constat, quamvis nonnulli antiquariorum Celticorum contra sine ullo argumento dictitent †.

---

* LAING's Dissertation on OSSIAN.

† C. J. CÆSARIS Comment. de Bello Gallico.

3. RegionesEuropæ ad orientem spectantes Sarmaticæ vel Slavonicæ gentes incolunt, crinibus oculisque nigris, et cute Germanica atriori, artubus Celticis forsan majoribus insignes. Ad hanc nationem Russici pertinent, Poloni, Croates, Slavoni, Boiohemi, Bulgarii, Cossacci, quique alii Slavonico sermone utuntur.

Colorem harum gentium fusciorem, ingeniosus FORSTER cum opinione sua componere cupiens, a Medis oriundos esse prædicat *. Auctor est DIODORUS †, qui his verbis de Sarmatis usus est: " Ὑπὸ δὲ τούτων τῶν βασιλέων " (τῶν Σκυθῶν τῆς Ἀσίας αρχόντων) πολλὰ μὲν ϗ τῶν ἄλ-" λων τῶν πολεμηθέντων τῶν ἐθνῶν μετοικισθῆναι, δύω δὲ με-" γίςας ἀποικίας γενέσθαι τὴν μὲν ἐκ τῶν Ἀσσυρίων μετα-" ςαθεῖσαν εἰς τὴν μεταξὺ χώραν τῆς τε Παφλαγονίας ϗ " τοῦ Πόντου, τὴν δε ἐκ τῆς Μηδίας παρὰ τον Τάναϊν κα-" τιδρυνθεῖσαν, ἧς τοὺς λαοὺς Σαυρομάτας ὀνομασθῆναι· τού-" τους δ' ὕςερον πολλοῖς ἔτεσιν αὐξηθέντας πορθῆσαι πολλὴν " τῆς Σκυθίας, καὶ τοὺς καταπολεμηθέντας ἄρδην ἀναι-" ροῦντας, ἔρημον ποιῆσαι τὸ πλεῖσον μέρος τῆς χώρας."

---

* FORSTER's Observations.

† DIODORUS SICULUS.

Siqua fides igitur huic auctoritati adhibenda est, constat Sarmatas ad ripas Tanais fluvii, quo tempore Scythi Asiam sub ditione tenebant, transvectos esse, duas nempe vel tres ætates saltem ante Cyri Persarum regis sæculum, vel 700 circiter annos ante J. Christum natum. Herodotus Darii Hystaspis in Scythiam invasionem narrans, de Sarmatis populo jam præpotenti mentionem fecit*. Regionem Tanai et Borystheni interjectam tum temporis obtinebant. Codani sinus oras, ripas Vistulæ fluminis, Prussiam, omnemque regionem usque ad Finnorum fines, Venedorum gentis Sarmaticæ sedes antiquitus fuisse, a Cluverio satis comprobatum est †. Eundem populum fuisse Sarmatas et Slavonos vel Slavinos Russicorum Polonorumque majores, hic quoque auctoritatibus indubitabilibus ostendit. Plinius ‡, Pomponius Mela § et Ptolemæus, Vistulam terminum fuisse Germaniæ et Sarmatiæ ferunt. Ex omnibus his satis, ut credo, compertum habere licet,

* Herod. Melpom. † P. Cluverii Germania Antiqua.
‡ Hist. Nat. § De Situ Orbis.

Sarmatas vel Slavonos Europam aquilonalem ex primis sæculis, quorum ulla memoria ad nos pervenit, incoluisse, et forsan antiquiores ejus dominos, quam ipsos Germanos fuisse. Hoc utcunque se habeat, si 2400 anni ad minorem hanc mutationem efficiendam haud valuerint, quot sæculorum millia danda sunt ad cutem Æthiopum denigrandam?

Omnia igitur tentamina eorum, qui varietatem coloris gentium Europæarum per vim frigoris et coloris explicare facessant, frustra fieri patet, quoniam vicinæ regiones Germanorum, et in eadem et in magis septentrionali plaga, ex ævis vetustissimis gentes speciei diversæ incoluerunt, nullis moribus peculiaribus existentibus, cui discrimen adscribi potest. Quomodo idem *clima* alborem Germanorum Suedorumque, et Russicorum nigrorem producere potest?

Germanicam constitutionem de cœli genere haud pendere, aliud argumentum ex eo deducere licet, quod harum gentium et posterorum peculiaris et constans permansit in quamcunque regionem emigrasse contigerit. Qui a primis nostris Indiæ Occidentalis colo-

nis oriundi sunt, hujus constitutionis signa adhuc conservant. Et antiquorum Vandalorum progenies, qui Mauritaniam annis circiter 400 post CHRISTUM domuerunt, quamvis propter barbaros mores maximæ causarum externarum efficaciæ obnoxii per xiv sæcula Africi solis fervore adusti fuerint, universi nihilo secius cœruleis oculis, comis rutilis, et cute candida hodie præditi sunt *. Præterea eandem varietatem sponte sua in regionibus inter solstitia sitis enasci jam ostendimus.

Exceptis igitur Germanis, quorum color ex causis longe aliis oriri videtur, et Lapponibus, Samoiedibusque, quos ex stirpe Mongolica cretos putamus, eandem constitutionem congenitam, vel naturalem per Europam universam, Asiam occidentalem et septentrionales Africæ partes valere novimus. Crines, oculique nigri vel fusci nigricantis, et cutis albida in fuscum potius vergens, quam in candorem Germanicæ gentis, peculiares sunt Gallorum, Iberorum, Lusitanorum, Italorum, et Celtarum omnium, Russicorum, Polono-

---

* SHAW's Travels and BRUCE's Travels.

rum, aliorumque Sclavonicæ nationis populorum *, Tatarorum † qui vulgo cum Mongolis confunduntur, Circassiæ ‡ et Georgiæ incolarum, Turcarum, Græcorum, Arabum, Syrorum, Mauritaniæ vel Lybiæ septentrionalis populorum, et Judæorum §. Terminus qui Mauros candidos ab Æthiopibus maxime nigris dividit, non in latum patet. Deserta interjecta gens hybrida obtinet. Mauri Jarræ aliique Nigritiæ vicini, ex commista stirpe constant, ab albis nigrisque majoribus conjunctis oriundi ¶.

Colores humani corporis pro cœli regionumque calore nusquam inveniri, satis comprobasse videmus. Majorem quidem partem australis hemisphærii gentes nigricantes obtinent, et septentrionalis albæ, ad istiusmodi causam vero discrimen haudquaquam relegandum esse constat, quoniam nulla sit a polis distantia, nulla situs varietas, quæ in multis exemplis ambarum communis non reperiatur, et quanquam perpetua fere habeamus, et plurima ex

* Forster, &c. &c. † Gmelin. ‡ Buffon.
§ Vide supra. ¶ Park's Travels.

utraque parte migrationum exempla, nullus hujusmodi effectus consecutus est.

Licet igitur concludere ex relationibus fidissimis de variis orbis terrarum populis, atque ex iis quæ per veterum sæculorum annales, de migrationibus gentium cognovimus, cœli diversitates varietatum de quibus agitur non esse causam, præterquam quod hujusmodi discriminibus aliquis efficacia transitoria, et ætate una diutius nunquam valens, tribuenda sit. Observationes quotidianæ et maxime vulgares ad hoc comprobandum sufficerent, ni adversarii nostri, assumpto temporis indefinito spatio, pro mutatione sua efficienda, omnem scrutationem devitarent. Si autem sæcula omnia, quorum annales antiqui recordantur, nihil effecisse ostendimus, proposito nostro explevimus.

Pro istiusmodi argumentis hæc sufficiant. Unum superest recensitu haud indignum. Sedes coloris, qui ex adustione provenit, diversa prorsus ab ea fertur, in qua situs est color naturalis. Ille scilicet in cuticula, aëre et calore mutata, consistit. Hic vero ad rete mucosum pertinet, quod quatenus scire potui

hujusmodi causis haud obnoxium est. Neque rete mucosum in quibusdam animalium generibus solum nigritudine præditum est. Aves nonnullæ periosteum atrum habent *. Hæc certe causæ non tribui debent, quæ nihil præter cuticulam unquam afficere videtur.

Hæc sunt quæ de cœli potentia in colore mutando sentiamus.

De aliis Discriminibus Cœli vulgo adscriptis.

Primum de Crinibus.

Crines Afrorum crispatos ardori solis propinqui multi attribuerunt, et ex comparatione eorum quæ fiunt in pecoribus argumenta quæsitaverunt. Magnum autem si animum attendamus discrimen inter has res intercedit. Oves in ferventem regionem transvectæ brevi lanam deponunt et pilos induunt. Ho-

---

* Blumenbach, &c.

mines vero semper iidem et ipsi perstant, et progeniem sibi similem gignunt. Sed de hoc jam mentionem fecimus. Hic solum pauca quædam adjicere volumus. Si crispi crines in Africa de calore pendent, parili ratione in Diemenica tellure frigoribus adscribendi sunt. Crines crispati neque omnium Æthiopum peculiares sunt, namque Caffrarii * et Congoenses †, nostris similes habent; nec iis solis proprii; invenimus enim in insulis orientalibus, in Moluccis ‡ scilicet, Nova Guinea, Mallicollo, Borneo, interdum in Batavia Nova §, et omnes denique Diemenicæ terræ incolas distinguere feruntur ¶. Ergo de calore cœli non pendent.

* Paterson. † Cavazzi. ‡ Forster. § Blumenbach. ¶ Cook.

De Forma.

Formæ oris lineamentorum gentium peculiares et calvariæ figuræ varietates iisdem causis a Blumenbach attribuuntur. Opinio ejus duobus præcipue argumentis innititur *.

1. Nullam aliam invenire potest causam quæ conformationem oris gentis totius communem produxisse possit.

Varietas congenita hæreditaria, quæ connubiis per longa tempora distinctis peculiares universi cujuslibet populi evaserint, meliorem explicationem præbere videtur, et causa est quam re vera existere novimus, dum alius efficaciam nihil sit quod comprobet. Annon multo verisimilius diversitates Anglorum, Scotorum et Hibernorum ex tali causa, moribus et educatione quoque juvantibus, quam ex plagarum discrimine ortum duxisse, quum omnes eandem pæne regionem incolant?

2. Quia totæ gentes ex una in alteram regionem migrantes, priscam faciei conforma-

* Blumenbach.

tionem amiserunt, et sedibus novis propriam induerunt.

Exempla ad hanc sententiam stabiliendam prolata dubia admodum sunt, et quæ, ut ipse fatetur, magna ex parte per connubiorum misturam explicari possint. Nullus equidem dubito quin omnem effectum huc relegem. Causa enim est vere existens, et quæ ad res explicandas valet; non igitur alia et dubia quærenda est.

Incolæ Terræ del Fuego, ait, qui Americanæ stirpis sunt, in hac regione formam mutaverunt, et ad Mongolorum peculiaria ex quibus olim, ut censet, fuerant orti, reversi sunt.

Rem aliter se habere testis sunt COOK *, FORSTER † et WALLIS. Ille in ora hujus insulæ *australi* homines vidit Patagoniis consimiles, nec ullum discrimen notavit: colorem eundem refert. FORSTER minoris staturæ gentem adiit, et in hoc ab incolis terræ continentis differre dixit, sed faciei lineamentis

* HAWKESWORTH's Voyages.

† FORSTER's Observations.

similes esse affirmat, neque aliam ullam diversitatem Wallis invenire potuit.

Porro tria argumenta maxime vetant, ne fidem huic sententiæ tribuamus. 1. Quia eadem plaga gentes alit, non sibi invicem similes, quod fieri illo pacto deberet, sed quam maxime differentes. Quod siquis nationes Europæas cum Asiaticis, vel Æthiopibus pari situ degentes conferat, statim in aperto est. 2. Contra sub diverso sole similes sunt populi, ut Mongoli, et Sinenses meridionales, et Kamtschatkani. 3. Quod gentes totæ quæ migrarunt, et stirpem aliis haud infectam servarunt, iidem prorsus perstiterint, quod in Judæis maxime notandum est, et in coloniis Europæorum in plagam ardentem deductis.

His adjiciam, quod varietates calvariæ formæ congenitas, vitæ præter naturam excultæ, moribusque mutatis adscribere mallem, quum tales causæ similem effectum in equis, suibus, aliisque brutis animalibus ediderint, quam rei cujus potentia dubia est, et in tenebris quam maxime versatur.

De Statura.

Cœli frigora et calores * multum in hominum staturam pollere nihil est quod ostendat. Algorem extremum, nutrimenti aliorumque stimulorum defectui conjunctum, perfectioni membrorum inimicum esse non ibimus inficias. Effectus autem in ætatem unam se extendere putamus. Neque nimium quis ei confidebit, quum animadverterit quod gentes plurimæ sint, regiones maxime frigidas incolentes, qui magnis artubus, et ingentibus corporibus insignes sunt. Quod de Patagoniis, Terræ del Fuego australis oræ populo, Tchutskis, Americanis septentrionalibus, aliisque pluribus in promptu est. Cum in locis calidis contra exiguos homines sæpe reperire sit. Veluti Mongolos †, a quibus orti Lappones, Samoiedes, Isquimoi, Jappones, aliique videntur.

Hæc in universum æstimantes conclusiones generales facere quæ sequuntur licere existimamus.

---

* Smyth. † Pallas.

CONCLUSIONES GENERALES.

1. Omnes gentis humanæ diversitates, exempla esse communis universorum fere generum animantium ad varietatem naturalem proclivitatis, ejus legibus parere, atque huic causæ adscribendas esse.

2. Opinionem ergo, quæ diversa hominum genera primitus constituta esse fingat, nullis argumentis niti.

3. Speciem naturalem per cœli regionumque æstum vel frigus, et per mores populorum, aliquantum mutari.

4. Harum autem causarum potentiam in unam tantum ætatem valere, nullamque conditionem corporis vel arte vel casu adquisitam ad progeniem transmitti.

DISTRIBUTIO GENTIUM.

JAM vero et iis quæ de varietatibus hominum harumque causis ipsi sentiamus dictis, et eorum opinionibus quæ de vero plus minusve aberrasse existimamus fusius proposito tractatis; ad dinumerationem maximarum gentium, et divisionem earum progredimur. In quo conatu auxilio omnium nitimur quæ novimus, vel de externa corporis specie, vel de fabrica ejus abditiore curiosiori sola scrutatione detecta.

Si similitudo sermonum, populorumque migrationes quidquam luminis in densa adeo caligine impertiant, hujusmodi monitiones negligenter haud præteribimus. Nec si historiæ gentium, et veterum monumenta quædam memoriæ prodiderunt, quæ consilio nostro inserviant, attentionem atque fidem quæ par est iis recusabimus.

Discrimina quæ in calvariæ formis diversis populis peculiaribus observata sunt, locum præbuerunt pluribus auctoribus nostri generis in distinctas nationes discernendi. In hoc consilium DAUBENTONII lineæ occipitales propositæ sunt *, et pervulgatior multoque felicius excogitata CAMPERI linea facialis †. Linea a meatu auditorio externo usque ad nasi basin, ad libellam ducta, lineam alteram secat, a parte frontis maxime projecta, ad anteriores processus alveolares maxillæ superioris recte descendentem. His angulus intercluditur in variarum gentium calvariis diversus. In Europæ populis a gradibus 80° ad 90° continet: In Sinensibus aliisque Mongolicæ stirpis circiter 75°: In Æthiopibus haud plures 70°, plerumque habere reperitur.

Modi autem constantioris, et ad scrutationes quasdam alio spectantes majoris momenti, celebris CUVIER ‡ auctor est. Capite et ad longitudinem, et a vertice inciso, et calvariæ sectione cum faciei comparata, areæ earum

* BLUMENBACHII. Decades Craniorum.

† P. CAMPER. ‡ CUVIER. Anatomie Comparative.

varias proportiones habent. Quæ his numeris exprimuntur,

1. In Europæo, Calvariæ sectæ area : faciei area :: 4 : 1
2. In Mongolo, ... : . . . . :: 4 : 1$\frac{1}{10}$
3. In Æthiope, ... : . . . . :: 4 : 1 $\frac{1}{5}$

Hæc autem pro comparatione diversorum generum animalium utiliora sunt, et normam quoque præbent, ex qua de intellectu naturali gentium variarum judicationem plures quæsitaverunt. Num vera hæc sint, an speciosa solum, proposito nostro alienum foret anquirere. Hic de hominum forma tantum agitur, neque in dubio hæremus quin generalem accurati BLUMENBACH descriptionem facile præferamus, utpote nostro consilio multo aptatiorem *. Partes omnes calvariæ hæc descriptio complectitur, et pluria peculiaria notat, quæ modi CAMPERI, CUVIER, reliquorumque prætermittunt. Ossium frontis, et maxillæ superioris forma maxime nititur, quippe ex quibus totius discrimina capitis, et

* BLUMENBACH. de Gen. Hum. Var. Nat. et Decades Craniorum.

faciei figura, præcipue pendeant. Hac ratione formas humani capitis in quinos ordines distribuit, quarum descriptiones ipsius verbis referre libet *.

1. *Europæorum calvaria.*—“ Optime sym-“ metricum cranium, subglobosum, cui frons “ modice explanata, ossa jugalia angustiora, “ nuspiam protuberantia, a processu malari “ ossis frontis deorsum decurrentia. Limbus “ alveolaris rotundior; dentes primores u-“ triusque maxillæ ad perpendiculum positi.”

2. *Mongolicarum gentium.*—“ Caput quasi “ quadratum; ossa jugalia extrorsum eminen-“ tia; glabella et nasi simi ossicula fere in “ eodem cum ossibus jugalibus plano hori-“ zontali posita; arcus superciliares vix ulli; “ nares angustæ; fossa malaris leviter tan-“ tum sinuata; limbus alveolaris antrorsum “ obtuse arcuatus; mentum prominulum.”

3. *Æthiopum.*—“ Caput angustum, a late-“ ribus compressum; frons tuberosa, fornica-“ ta; ossa jugalia antrorsum prominentia; “ nares amplæ; fossa malaris pone foramina

* Blumenbach, de Gen. Hum. Var. Nat.

"infraorbitalia profundius sinuata; mandi-"bulæ porrectæ; limbus alveolaris angustior, "elongatus, magis ellipticus, dentes primores "superiores oblique porrecti; inferior mandi-"bula magna, robusta; cranium plerumque "crassum ponderosum."

4. *Americanorum*, "inter primam et se-"cundam forma intermedia.—Malæ latiores "quidem, attamen magis arcuatæ et rotunda-"tæ, quam in Mongolica varietate; non ut "in hac utrinque exporrectæ et angulosæ; "orbitæ plerisque profundæ; cranium pleris-"que levius."

5. *Malaicæ gentis*, "inter primam et terti-"am intermedia calvaria, modice angustata; "frons subtumida; malarum ossa haud pro-"tuberantia; mandibula superior aliquantum "prominens; bregmatis ossa ad latera protu-"berantia."

His calvariæ discriminibus genus huma-num in quinque nationes diducit.

Hæc nostræ indagationi maximæ utilitati sunt, nec ea ullo modo præterire oportet. Quum vero sint aliæ quædam varietates gen-tilitiæ, neque minoris momenti, nec minus

constantes, quam quæ ad ossa capitis spectant, illæ quoque minime negligendæ videntur. Præstat, ut censeo, omnia hominum variantiæ vel forma vel colore exempla ante oculos habere, et ex his ea seligere, quæ et maximi momenti videantur et constantiora fuisse, tum observatio hodierna, et aliorum generum comparatio, tum præcipue veterum historiæ sæculorum edocuerint. His igitur nisus gentes hominum in sex partes diducere ausim.

1. *De Primigenia Hominum Constitutione.*

Formam hominis primitivam eam fuisse, quæ nunc Europæis, Turcis, Syrisque, &c. peculiaris est, multa sunt quæ indicent. Calvariæ figura, quod patet ex descriptione et observationibus sagacis Blumenbach, medium locum inter extrema diversitatis obtinet, quasi commune centrum, ex quo variationes undique oriantur. His hominibus, siquid argumenti inde elici potest, forma pulcherrima et maxima decora est, et ingenium

acerrimum, adeo ut hi omnium fere scientiarum et artium inventores fuerint. Hæc denique figura est eorum, qui medias terrarum orbis regiones obtinent, dum alii extrema ejus fere occupent. Omnibus quoque populis propria est, quos antiquiores, atque ex primis sæculis, cultu et humanitate usos esse constat. Huc etiam, ut idem scriptor animadvertit *, aliarum gentium constitutio sæpe redire proclivis videtur, quod in insulis oceani australis, et in quibusdam Africæ terris factum esse videtur.

Pro comperto habentibus hanc fuisse primam figuram, dubitatio exoritur, quo colore prisca gens illa prædita fuerit, nigrisne crinibus oculisque, an flava aut rutilante coma et oculis cœruleis? Horum enim utraque in populis Europææ formæ reperiuntur. Quæ statim tollitur, cum sciamus hæc unius stirpis Germanicæ scilicet, et quæ longinquiora loca tenet fere propria fuisse, illa vero omnium reliquorum communia. Medius quoque colorum hominum ab iis tenetur, qui nigris

---

* Blumenbach.

comis sunt, et his multæ gentes hic illic inter alias stirpis nationes sparsæ approximant. Præterea fulvæ et flavæ stirpes in animalium plerisque generibus, mutatione a prima natura ita factæ fuerunt, veluti in cuniculis felibusque, dum nativus eorum color cum hac hominum constitutione comparationem fert.

Cutis his alba in fuscum vergens est, minus candida et rubicunda, quam Germanis, et pilis multo confertior; crines et oculi nigri, vel nigritudini proxime accedentes; figura corporis et compositio membrorum decora; lineamentorum vultus pulchra conformatio. Forma calvariæ prima in ordine descriptionum, a Blumenbach Caucasiana vocata*.

2. *Constitutio Germanica, aut Sanguinea.*

Forma corporis, calvariæ et vultus primigeniæ vix dispar. Statura autem et artus plerumque aliquantum majores, membraque laxiora esse feruntur. Lineamenta non tam

* Blumenbach.

acuta, sed paulo rotundiora, et oculi fere minus patuli et ampli sunt.

Color cutis candida est, et rubori proclivior; comæ aut rutilatæ, aut flavescentes; oculi cœrulei; constitutio corporis laxior, et ingenium, ut aiunt *, leve et inconstans, et ad iram aut amorem facile concitandum. Corpora, ut TACITI verbis utar †, tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia.

3. *Leucæthiopica Constitutio.*

Figura horum corporis et calvariæ, prout populorum sunt inter quos nascantur, hæc enim varietas sæpe in omnibus fere terris exoritur, nondum vero satis diu distincta stirpe transmissa fuit, ut gentes quæ ea insigniuntur peculiarem sibi formam adsciverint.

* HOFFMANNI Opera, tom. iii. Conspectus Doctoris GREGORY.

† De Moribus Germanorum.

Cutis candidior quam sanguineæ constitutionis; sæpe, quod et ipse pluribus exemplis vidi, rubicunda satis est, et optimæ valetudinis speciem præ se ferens, nec quadam venustate caret; interdum, atque hoc, ut credo, maxime cum inter gentes nigricantes exoriatur, pallor est, et morbosi habitus indicia; constitutio corporis sanguinea aliquanto infirmior, et stimulis levioribus incitanda. Crines eorum qui Europæis orti sunt, vel albissimi, vel in flavum vergentes, molles, et tenues sunt. Inter Nigritas *, lana est alba, et paulum flavescens. Oculi colore roseo sunt, et adeo lucis sentientes, ut medio die in tenebris versari cupiant, sub luna clarissimo visu fruantur; inde νυκταλώπες nomen impositum fuit.

4. *Mongolica Stirps.*

Statura quam Europæorum brevior, præsertim in regionibus circulo septentrionali

---

* Maupertuis.

subjectis, quod ex frigorum asperitate, et cibi defectu pendere videtur.

Descriptio calvariæ supra posita est.

Facies lata, plana, et rotunda est ; supercilia nigra et rara; spatium inter ea latum et breve; simi sunt; oculi angusti et obliqui admodum siti, nigri; cutis flavida; crines duri, nigri etiam recens natis, nunquam fere torti; aures ingentes; labia crassa *.

5. *Nigritæ.*

Forma calvariæ supra descripta est.

Nasus latus et depressus, in superiorem maxillam quæ multum prominet se expandens; labia, superius præsertim, crassa; mentum planum, vix exstans; valgis similes sunt, et suras alte sitas habent †.

Color cutis fere niger; oculi nigri; crines crispi et lanæ similes. Hæc vero omnia non universæ nationis peculiaria sunt; pars eorum

* Blumenbach. † Ibid.

inter occidentales Afros, vel Nigritas proprio dicto, solum reperiuntur. Namque plures gentes Africam ipsam incolentes, et quos sedes longinquiores in oceano australi tenentes, eidem stirpi referre liceat, et capillis Europæorum haud disparibus, et lineamentis faciei, capitisque figura iis multo propioribus spectandæ sunt.

6. Americani.

Frons brevis; simi sunt, adeo tamen ut nasus aliquantum promineat; oculi profundius siti; ossa malæ extant; facies lata, sed non plana, quam si a latere aspicias, lineamenta ejus fortiter expressa videntur.

Cutis cuprei coloris est; capilli nigri, fortes, longi rarique; pili quoque tum in hac, tum in gente Mongolica rari sunt *.

* Blumenbach.

DE ORIGINIBUS GENTIUM.

Proposito nostro, quomodocunque demum id factum sit, fere expleto, pauca quædam subjicere libet de gentium præcipuarum origine et migrationibus. In qua re, haudquaquam in eo animo sumus, ut vanas imaginationes, et futilia commenta moliamur, et has ineptias pro comprobatis venditemus. Quatenus veterum scriptorum auctoritas ducat, aut sermo et mores et reliqua hujusmodi congruentia viæ indicia præbeant, his fidentes satis audaces progrediemur, et quum certa attingere, vel rei ipsius natura, vel ingenii nostri culpa non concedat, quam verisimillima probabili conjectura assequi, modo tali indulgentia modice utamur, nemo ut speramus invidebit. Ubi vero lux deficiat, gressus cohibebimus, nec temeraria per tenebras ponere vestigia facile periclitabimur.

Non eo quo nonnulli, qui in hanc arenam descenderunt *, principium faciemus, ubi nempe siti fuerunt quærendo, " hyperborei " campi, augusta terra beatorum mortalium " et justissimorum." Neque aureos Hesperidum hortos, et ipsa Elysii nemora tenueritne Scandinavia, an Thule Ultima, an, ut quidam denique mallunt, Nova Zembla, lis nobis disceptanda est. De his viderint illi, et caterva eorum satis superque ampla jamdudum fuit, quibus hujusmodi inquisitiones ingenio arriserint. Nobis longe abest ut talia deceant, et multo longius, ut placeant.

Regiones Asiæ superioris primas generi humano sedes præbuisse, et pluribus persuasum fuit, et sententia videtur argumentis minime destituta. Hic vestigia maxime antiqua cultus et humanarum artium inveniuntur. Inde gentium, radiorum modo ex communi centro orientium, in alias partes orbis terrarum migrationes exsequi possumus. Hic igitur quærenda sunt, et forsitan invenienda rudimenta nationum. Regiones quæ Tigri flumini et

* Baillie, &c. &c. &c.

Mari Mediterraneo interjacent, et magnam Arabum peninsulam, gentem unicam ex prima rerum memoria, vel congeneres saltem stirpes obtinuisse, pro certo habemus. Docet enim sermonum mira, ut in tanta temporum diuturnitate et distantia locorum, similitudo. Linguas Hebræam, Chaldeam, Syriam, Phœniciam, et Arabicam ejusdem originis esse et fere pares, vel tironibus in philologia pernotum est. Et in ingenio hominum eadem similitudo est, in superstitionibus, levitate et acumine mentis; et præcipue in forma corporis et colore, aliisque gentilibus hujusmodi proprietatibus. Omnes tum veteres, tum hodierni, ea constitutione præditi sunt, quam primigeniam putavimus. Iisdem aliisque de causis, et summa auctoritate muniti *, Abyssinorum majorem partem huic stirpi adscribimus. Hos vero Nigritarum sanguine infectos vix dubitare est †, cum mediam speciem, et gentis historiam intueamur. Ægyptios Abyssinorum congeneres fuisse satis constare arbi-

* Sir W. Jones.

† Blumenbach et Soemmering.

tror *. Calvariæ eorum, quæ servatæ fuerunt, quædam nigritarum formæ sunt, plures vero Europææ similes.

Ex eruditis illustris nostri Jones scrutationibus duas linguas, duasque superstitiones antiquas inter se differentes, et diversis populis peculiares, indubitabilia vestigia, in Persia reliquisse constat. Harum gentium una *Pisdadica* scilicet vel Assyria alteram debellasse, saltem ex istis terris fugasse, circiter 800 vel 900 annos ante Christum comprobatur †. Ex his temporibus sermo increbuit Chaldæo similis, nec dubitare possumus quin origo hujus gentis Assyria fuerit. Antiquior vero gens, ut Jones auctor est, imperium late extensum ante hoc sæculum obtinuerat, et artibus multum cultuque diu floruerat. Sermonis horum reliquia quæ *Zend* et *Parsi* vocantur, Brachmanum vel *Sanscritæ* linguæ proxima sunt. Ex Persia depulsi in Indiam migrarunt, ibique religiones et sermo eorum hodie inveniuntur. Constitutionis primigeniæ fuisse videntur, Buddha enim ipse horum colore e-

---

* Bruce.

† Sir W. Jones's Works, vol. i.

rat. Neque ulla Mongolicarum gentium aut loquela, aut moribus Brachmannis ex ulla parte similis est. Similitudinem insignem inter scientias, superstitiones et sermonis compositionem illius veteris gentis, et Græcorum auctor noster observavit. Unde probabile fit, hos ab illis ex parte oriundos esse *.

Nationis Assyriæ forsan longius migrationes exsequi queamus. Gentes sunt ad orientem Persidis, quas ob similitudinem Judæis huc referre licet, velut Afgani. Et occidentem solem versus ab Ægypto per Lybiæ oras sese extendisse verisimile est. Mauritani aliique Afri septentrionales ingenio et corporis colore, forma reliquisque peculiaribus parum ab Arabis et Judæis distulerunt. Certe Carthaginienses, aliique plures harum littorum populi, a Phœnicibus orti sunt. Quid autem magis probabile quam eosdem in Hispaniam transvectos occidentali Europæ incolas præbuisse? Magnam et celebrem Celtarum nationem, multa sunt quæ suadent, ut exinde originem deduxisse putemus. 1. Nulla eorum

* Jones.

vestigia in Europa orientali invenimus, contra ac fit de Sarmatis et Germanis. Atque si hac via intraverant, quædam eorum indicia, ut videtur, reperienda forent. 2. Figura, colore, conformatione lineamentorum, &c. Celtæ Arabis et Mauris similes sunt. 3. Mores et religiones eorum in multis similes et fere pares; sacra utrique genti sanguinaria erant, in quibus homines mactare in consuetudine fuit; superstitio utrisque servilis et demissa; sacerdotibus omnia fere, non solum quæ ad deorum cultus pertinebant, verum etiam civilia munera in manus tradiderunt. Hæc omnia a Germanicarum bellico et virili religionum ingenio dissimilia sunt. Distinctiones ordinum, et observatio gentilium honorum, multum apud utramque obtinebant. 4. Similitudo linguarum congenerum populorum maximum argumentum est. Punicum sermonem Hibernici veteris mire consimilem esse *, Vallancey ostendit, qui hujus auxilio scenam Plauti in illo scriptam intelligere po-

* Colonel Vallancey.

tuit. Nec minus notabilis congruentia est, inter linguas Hebræam et Cambriæ populi *, non in vocabulis solum, sed quod multo magis momenti est, et ipsa sermonis compositione, et declinationibus verborum. Verba, exempli gratia, in utraque præsenti tempore carent, et participiis in ejus loco utuntur, et radix vel thema verbi tertia est persona præteriti temporis. Alia plurima exempla a rerum Celticarum scriptoribus prolata sunt.

Auctor est illustris Jones†, ut Græcos stirpi Persicæ veteri vel Brachmannicæ referamus, et tot sunt exempla similitudinis eorum sermonum, religionum, aliarumque institutionum peculiarium, ut assentionem vix abstinere possimus. Incolæ Asiæ Minoris, Phrygiæ præsertim, easdem fere habebant superstitiones, et ejusdem, ut videtur, originis erant. Lydos quoque et posteros eorum Etruscos, et ab his cum novis forsitan Græcorum coloniis commistis oriundos Romanos, si in ulla re hujus-

* Evan's Welsh Grammar. Davies's Dictionary, &c.

† Sir W. Jones's Works, vol. i.

modi argumenta quid valeant, huic genti referre licet, quæ artium prisca inventrix cultum et humanitatem in longinquiora terræ detulit. Græci commisti ex una parte fuisse videntur cum Ægyptiis, quorum sermo Assyrius fuit, ex alia cum Germanis, quod constat tum ex lingua, tum ex specie hominum. Oculi enim cœrulei et flavæ comæ haud raro inter eos inveniebantur, quod per poetarum carmina patet. Est autem alia gens, quæ ex Media aut Armenia orta, in Europam et ad ultima septentrionis se extendit, quam nescio huic an illi stirpi adscribam.

Scythæ, et Sauromatæ, vel Sarmatæ gens erant una et eadem. Herodotus enim, cujus auctoritas in hac re fidissima est, quoniam inter hos populos ipse versabatur, eadem lingua usos fuisse affirmat: "φωνῇ δὲ," inquit*, "οἱ Σαυρομάται νομίζουσι Σκυθικῇ, σολοικίζοντες αὐτῇ "ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου." Strabo quoque idem his verbis refert†, "Ενδοτέρω δὲ τούτων Σαρμάται, καὶ "αὐτοὶ Σκύθαι." Geloni et Agathyri ejusdem

* Herod. Lib. iv.

† Strabonis Geographia.

originis erant *. Scythæ primum in Armenia ad meridionalem Araxis ripam incolebant. A Massagetis inde pulsi, flumen transierunt, et Cimmeriam vel Scythiam propriam debellarunt, quod teste HERODOTO scimus †. DIODORUS SICULUS quoque primas Scytharum sedes apud Araxem fuisse refert ‡. Idem quoque Sarmatas a colonia Medorum ortos esse dixit ; et verba ejus supra citavimus. Scythæ, ut JUSTINUS affirmat §, Asiæ domini erant, et bellum contra Ægyptios pluribus sæculis antequam NINUS Assyriorum imperium condidit, gerebant. Ex his autoritatibus satis constat, Scythas vel Sauromatas ex Media vel Armenia primum ortos esse, et septentrionem versus emigrasse. Iidem fuerunt Sarmatæ, et Slavoni ; quod PHILIPPUS CLUVERIUS comprobavit ; ex quibus oriundi fuerunt Russici, Poloni, Boiohemi, Bulgarii, aliique. A Scythis quoque ortos esse Tataros proprios, et Turcos verisimillimum est. TOOKE ex

* HEROD. Lib. iv.

† Ibid.

‡ DIODORUS.

§ JUSTINI Historia.

Sarmatis * cretos affirmat. Antiquorum Scytharum sedes obtinent, neque ulla migratio, quod scimus, facta est. Et Russicis figura, statura, et colore, simillimi sunt, ut ex fida auctoritate Pallas † et Gmelin novimus. Circassiæ et Georgiæ incolæ nigris crinibus oculisque spectandi sunt ‡.

Migrationes igitur gentium omnium quæ primigeniæ constitutionis sunt, ex communi centro exsequi possumus. Ex una parte Assyria gens, Syriam, Palæstinam, Phœnicen, Arabiam, Abyssiniam, Ægyptum, Africam septentrionalem, Hispaniam, Galliam, Italiæ partem, Britanniam et Hiberniam, incolis replevit. Ex alia Scythæ Mediam, Armeniam, Scythiam propriam, ingentes Sarmatiæ regiones, Poloniam, Russiam et Tatariam usque ad mare Scythicum seu glaciale. Dum alius populus his colore et forma similis, sed artibus vitæ maturius instructus, coloniam unam dimisisse videtur, quæ ad orientem cultum

---

* Tooke's History of Russia.

† Pallas et Gmelin. Voy. en Siberie.

‡ Buffon.

et humanitatem cum se devexerunt, alteram quæ Asiam Minorem, Græciam et Italiam occupavit, et verisimile est Ægyptos et Idumæos sive Phœnices, artes, scientias et religiones ex eodem fonte accepisse *.

Constitutio Germanica aut Sanguinea.

Hæc quanquam inter plures alios populos subinde enascatur, tamen cum rarior in cæteris gentibus visa sit, et Germanicæ stirpis universæ propria, eorum nomine eam designamus.

Si iis fidem adhibeamus, quæ inter hos populos memoriæ tradita sunt, haudquaquam regionum quas nunc obtinent aborigines fuerunt. Priscas in Asia sedes sibi vindicant. Poemata vetera eorum quæ carmine Runico exstant, ad flumen Rham, hodie Volgam, olim incoluisse ferunt. In Edda Sæmundi † hujus fluvii per Odinum celebrem trajecti mentio

* Sir W. Jones.

† Cottle's Translation of Sæmund's Edda, &c.

facta est. Hæc fortasse sola ad rem stabiliendam non sufficerent; argumenta alia in eandem opinionem consentiunt. Plures Germanorum gentes ad Danubium, et prope Pontum Euxinum sedes habuerunt. Getæ qui Gothorum majores fuerunt, ut inter omnes constat, hujus nationis erant*. Daci quoque pars ejusdem gentis erant. Strabo † enim eadem lingua usas refert, "ὁμόγλωττοι," inquit, "δὲ οἱ Δάκοι τοῖς Γεταῖς." Magnæ gentis temporibus Herodoti ad Rham incolentis mentio ab eo facta est, quæ Germanorum proprietatibus nota erat. Hi ‡ quoque Phthirophagi erant, et in eorum terra urbs lignea inter veteres celebris fuit." "Βουδῖνοι δὲ," inquit, "ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλὸν, γλαυκόν τε πᾶν "ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν." Eosdem a Gelonis qui Sarmatæ erant, tum lingua et institutis, tum colore et forma corporis diversos fuisse affirmat. Gens horum similis quoad colorem, et lingua propria utentes, in Caucasi jugis, adhuc invenitur. Vix dubito quin hanc quo-

* Pinkerton's Dissertation on the Scythians.

† Strabo.

‡ Herodot. Lib. iv.

que a Budinis deducam *, quos omnis Germanicæ stirpis majores fuisse puto.

Cimbri, Teutones, Gothi, Vandali, Burgundiones, Franci, aliique qui in Europam meridionalem irruptiones fecerunt, hujus stirpis erant. Nec ulla cunctatione impedior quin Tectosages, Trocmos, et Tolisthoboios, qui in Asiam pervenerunt, ibique Galatæ vel Galli a Græcis appellati sunt, quique per pluria sæcula peculiaria sua, donec a Romanis debellati sunt, conservabant, Germanicæ vel Belgicæ origini adscribam †.

Pro comperto igitur satis, ut in rebus tam obscuris habemus, Germanicam nationem sedes antiquitus prope Rham flumen et Caucasum obtinuisse, atque exinde per Europam sese extendisse. Quod quidem ad sententiam nostram facit, gentes ex communi centro in Asia meridionali, radiorum instar, ad extrema orbis terrarum, lentis migrationibus, pervenisse.

---

* PALLAS' Travels in Crim Tartary.

† T. LIVII Hist. Decad. iii. Dr GILLIES's Hist. of the World.

Leucæthiopes.

In isthmo Darienico *, in Selindiva et Java insulis †, et in Nigritia gentes integræ hujus constitutionis sunt, quas a cæteris harum regionum incolis oriundas fuisse notum est.

Mongolica Natio.

Qui plurimum inter has gentes versati fuerunt, et qui ideo historiæ earum maxime periti sunt, priscas iis sedes inter montes quæ Caspiano mari ad orientem adjacent, adscribunt ‡. Cum horum natura et hominum et locorum tam accurate consentit descriptio Argippæorum ab Herodoto tradita ¶, ut nequeam non credere eum de his locutum esse. Ex his regionibus hi populi ad septentrionem

* Maupertuis. † Buffon.
‡ Pallas. ¶ Vid. Lib. iv.

sese extenderunt, atque ex utraque parte Asiæ fines transgressi sunt. Kamtchatkani, quos ab iis ortos fuisse Steller auctor est *, ultimum orientem versus promontorium tenent; neque est cur in dubio hæreamus hos freta trajecisse, quæ inter hanc continentem terram et Americam interjacent, et Oonalascanis, Isquimoisque, qui per omnia deserta spatia a sinu Norton ad Greenlandiam sparsi sunt, originem præbuisse. Ex alia parte Samoiedes ab his orti sunt, et ipsi Lappones quorum migrationes a Caspiani vicinitate, ad ipsum mare glaciale, a Russico quodam auctore per reliquias linguarum, &c. indagatæ sunt †.

Gentes quæ huc referendæ sunt supra recensuimus. Finnones in omnibus eorum peculiaribus medii inter Germanos et Lappones videntur ‡. Hoc præsertim de forma eorum et colore verum est. Sermo Lapponici similis est. Tacitus ¶ eos inter Germanicas gentes

---

* Cook's Last Voyage.

† Sir W. Jones. ‡ Linnæus, Fauna Suecica.

¶ De Moribus Germanorum.

enumerat. Hos igitur ex ambabus gentibus commistis ortos probabile est.

A Finnis oriundi sunt, et earum lingua utuntur, Morduani, Voguli *, Ostiacæ, et Votiacæ †, qui inter Russici imperii incolas sunt.

Nigritæ.

Notis horum peculiaribus incolæ Africæ continentis, Novæ Guineæ, Novæ Bataviæ, Diemenicæ telluris, aliarumque insularum, prædití sunt. Et Indos proprie dictos, ab Æthiopibus crinibus longis antiquitus solum distulisse auctor STRABO est ‡. Indos igitur hodiernos ex hac stirpe, aliarum gentium connubiis mutata, deduxisse originem putare licet. Magnam Persicam coloniam religionem Brachmannorum et artes intulisse, ex observationibus eruditi JONES satis liquet. Inde deflexisse Æthiopicum colorem et figuram opor-

* PALLAS. † GMELIN.
‡ STRABONIS Geograph.

tet, et novis coloniis magis magisque indies mutata hodiernam demum formam constituisse. Et medium nunc locum inter Afrorum et nostratium peculiaria locum Indi obtinent.

Ex Malaica stirpe *, Nigritica, Persica, et Mongolica gentibus commistis constante, oriundi fuerunt insularum australis oceani incolæ, a Madagascara, ad eas qui a Peruano littore haud magno spatio distent.

Americani.

Multa sunt argumenta cur hos Malaicæ genti tribuamus. Insularum Ladronum † incolis statura et colore similes feruntur. Et quædam Indicæ religionis vestigia inter Mexicanorum instituta Jones se invenisse credidit ‡. Alii contra Mongolicæ stirpi Americanos attribuunt. Forsan ab his commistis originem ducant.

* Jones. † Cook. ‡ Jones, vol. i.

His absolutis in animo habebamus, quædam de ingenio gentium diverso adjicere, quod ad munus explendum defuit; quum vero modum solitum hujusmodi dissertationum jamdudum excessimus, et hoc nimis in longum traheret, finem hic imponere constituimus.

FINIS.


DM
E LIBRIS
DAVID MVRRAY